



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Caput IV. De tutela & testamentis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42561

CAPUT IV.

De Tutela & Testamentis.

DUBIUM I.

Quid sit Tutela & Curatela.

1117 » **R**esp. Sunt quasi contractus, quibus Tutor &
 » Curator ad procuranda bona & commoda
 » Minorum cujuscunque sexûs, qui vel Parente ca-
 » rent, vel sub ejus potestate constituti non sunt,
 » obligatur ex Justitia, perinde ac si ex contractu ea
 » obligatio suscepta fuisset; supplente nimirum
 » Lege, vel Magistratu vim contractûs. Differunt
 » Tutor & Curator, quòd Tutor solùm datur im-
 » puberibus, etiam invitis; & principaliter datur
 » personis, ut curet earum educationem & institu-
 » tionem: secundariò verò datur etiam bonis illi-
 » us, respectu omnium negotiorum. Curator verò
 » datur Minoribus, post annos expletos pubertatis,
 » usque ad annum 25. completum: nec communi
 » Jure datur invitis, nisi in certis casibus; & datur
 » principaliter rebus Minorum, secundariò perso-
 » nis: unde pro directione in foro conscientiae, ex
 » Jure tum naturali, tum positivo communi resolves
 » ex Laym. Lib. 3. Tract. 4. c. 9. n. 2. & seqq. & Tann. T. 3.
 » D. 1. Q. 7. D. 10. Bonac. de Contract. D. 3. Q. 19.
 » I. Tutores, five sint testamentarii, hoc est, reli-
 » cti ex testamento, aut codicillo patris; five sint
 » dativi, hoc est, constituti à Judice aut Magistratu;
 » five sint legitimi, hoc est, præscripti à Lege,
 (qualis

(qualis præ ceteris est mater, si velit, & promittat²⁹
 se non transcuram ad alias nuptias, quin prius²⁹
 tutelam abdicet & rationem reddat; deîn Avia,²⁹
 & Consanguinei proximiores idonei) tenentur,²⁹
 uti & Curatores jurare, se fideliter officium suum²⁹
 facturos, ac fide-jussorem dare, rem Minoris²⁹
 salvam & integram restituendam, & universim²⁹
 tacitè omnia eorum bona sunt hypothecata Mi-²⁹
 nori; ita ut ad quemcunque pervenerint, possit²⁹
 illa Minor sibi vindicare, ut sibi satisfiat, si quid²⁹
 illorum culpâ est passus. *Vid. Tann. loc. cit. Laym.*²⁹
 Cap. 9. Bonac. n. 1. ²⁹

II. Bona Minorum tenetur Tutor, vel Curator²⁹
 administrare eâ curâ, quam diligens Pater fami-²⁹
 lias propriis suis rebus adhiberet, tam impediens²⁹
 do & præcavendo damna, quam procurando²⁹
 commoda & lucra Minoris; alioquin damnum²⁹
 & defectus congrui lucri ipsi imputabitur, & te-²⁹
 nebitur etiam in conscientia ad restitutionem.²⁹
Vid. supra Lib. 3. P. 1. N. 705. ²⁹

III. Bona immobilia Minorum, aut alia pre-²⁹
 tiosa, quæ possunt servari, non possunt alienari,²⁹
 saltem sinè Judicis Decreto. ²⁹

IV. Tutori aut Curatori, & personis ei subjectis,²⁹
 nihil licet emere, sive per se, sive per alium, ex ullis²⁹
 bonis Minoris, quamdiu illi tales sunt, nisi cum²⁹
 auctoritate Judicis, aut cum ejus Decreto bona²⁹
 Pupillorum publicè, per juratum venditorem²⁹
 omnibus venalia exponuntur. ²⁹

V. Sinè Decreto Judicis non potest Minor re-²⁹
 mittere, vel renunciare hæreditati, legatis, fidei-²⁹
 commissis, aliisque Juribus sibi acquisitis: Si ta-²⁹
 men Religionem ingressus sit, potest bona alie-²⁹
 nare, quia moritur quasi. ²⁹

VI.

- » VI. Pupillus, dum infans est, hoc est, minor
 » septennio, vel infantia proximus (ita ut si mascu-
 » lus est, non expleverit annum decimum cum di-
 » midio; si foemina, nonum cum dimidio) nihil per
 » se efficere potest, quo ullo modo vel alteri obli-
 » getur, vel alium sibi obliget: at pubertati proxi-
 » mus, obligare quidem sibi potest alium, sed non
 » se alteri, saltem civiliter. *Sanch. d. 8. Less. L. 2. c.*
 » 17. N. 61. *Laym. n. 7.*
- » VII. Eadem est ratio Minoris, si Curatorem
 » habeat: quem si semel susceperit, tenetur illi sub-
 » esse Jure communi usque ad annum 25. exple-
 » tum; & si litem habeat, tenetur ad eam sumere
 » Curatorem, exceptis tamen causis spiritualibus.
 » Quod si Curatore careat, valent acta per illos, ita
 » tamen, ut si laesi sint, restituantur in integrum. *V.*
 » *Auct. cit. & Bonac. Q. 1. P. ult.*
- » VIII. Etsi Minores sine Curatorum auctoritate
 » donare non possint, nisi quae ejus conditionis
 » adolescentes donare solent, (in iis enim praesu-
 » mitur tacitus consensus Curatoris) qui tamen
 » dona ab iis accepit, non tenetur restituere, nisi re-
 » petantur legitime, quia probabile est valere natu-
 » raliter, tamen non civiliter, *Mol. Lugo Disp. 22:*
 » *Sect. 19: Trul. Tom. 2: L. 7. c. 17. D. 8. n. 3: Dian:*
 » *P. 8. T. 6. R. 4. & 7.*
- » IX. Tenentur Curatores & Tutores singulis
 » annis administrationis rationem reddere: ubi si
 » quis deses aut noxius reperiatur, amovendus est
 » imposita satisfactione, aliusque subrogandus.
- » X. Si Tutor vel Curator, post rationes officii
 » redditas fidelis deprehensus fuerit, debetur ei
 » praemium, quod quibusdam locis est vicesima
 » pars

pars reddituum bonorum omnium Minoris: in
aliis autem decima pars.

XI. Porro qui non possint esse Tutores & Cu-
ratores, & qui à tutela & curatela excusentur, ne-
iis imponi possint, v. g. habentes quinque filios
superstites, pauperes, &c. vid. apud *Tann.* loc. cit.
& *Sa v. Minor*, ubi sic habet: Tutor non potest esse
junior 25. annis, nisi forte mater: nec Religiosus, nec
fœmina, nisi mater aut Avia, (& uxor casu antè dicto)
nec Clericus in Sacris, si non velit, nec Episcopus, nisi mi-
serabilium personarum. Horum verò tutelam suscipere
tenentur & Episcopi, & Clerici, & Religiosi; quod ego
(inquit) de Religiosis universim non admitto. *Layman.*
loc. cit.

XII. Si Tutor & Curator, cùm tenerentur ne-
gotiari, omiserunt, possunt Pupilli ab eis accipe-
re 5. pro 100. *Sa v. Curator.* Vid. etiam *Navar. c.*
25. n. 66. Plura vide suprâ *Lib. 3. Tract. 2. c. 2. Dub. 3.*

Quomodo Juristæ distinguant ætates hominis,
vide dicta P. 1. N. 1026. De patria potestate vide *ibid.*
num. 1027.

An & circa quæ Pupilli ac Minores possint va-
lidè contrahere, saltem pro foro conscientiæ,
vide hic à num. 670. De eorum autem beneficio re-
stitutionis in integrum, vide à n. 677.

De multis obligationibus Tutorum & rediti-
bus Pupillorum videri possunt multa apud *Rode-
ric. L. 3. q. 10.* Et plura apud *Onnate D. 48. 49. 50. 51.*

D V B I V M II.

Quid & quotuplex sit Testamentum.

R Esp. 1. Testamentum est voluntatis iusta sen-
tentia, de eo, quod quis post mortem suam
fieri vult, cum directâ hæredis institutione: quod

Tom. III.

XX

addi-

1118

additur, ut distinguatur à reliquis ultimis volun-
 tatibus: nam differt à legato, seu fideicommissio
 partiali, quòd hoc donatio quædam fit à defun-
 cto relicta, & ab hærede præstanda: à codicillo ve-
 rò differt, quia codicillus est quasi testamentum
 imperfectum, & non fit ad instituendum hære-
 dem, nisi ex privilegio, v. g. in militia; sed ad ali-
 quid in testamento explicandum, addendum,
 mutandum, detrahendum, vel ad legata institu-
 enda. V. *Laym. Lib. 3. T. 5. c. 1. & seq. Tann. Tom.*
3. D. 4. c. 8. Less. L. 2. c. 19. D. 1. Bonac. de Con-
tract. D. 3. Q. 17. P. 1.
 Resp. 2. Testamentum est duplex, I. In scriptis,
 seu clausum: quod testamentum Testator, five
 suâ, five alterius manu scriptum, septem testibus
 idoneis, non defectuosis, non cæcis, non surdis,
 non mutis, nec furiosis, prodigis, infantibus,
 Religiosis, cognatis, qui in testatoris potestate
 sunt; (quibus adde ipsum hæredem, & qui in ejus
 sunt potestate;) sed masculis, puberibus, liberis,
 ad id rogatis & vocatis, coram offert, profitendo
 id esse suum testamentum: tum, si possit, manu
 suâ subscribit; alioquin octavus pro eo testis:
 deinde omnes & singuli 7. testes eodem tempore
 subscribunt, si possint, per se ipsos, proprioque,
 vel alieno, aut communi omnes sigillo confi-
 gnant. *Laym. loc. cit. Bonac. P. 1. II. Nuncupati-*
vum, quod minorem solennitatem requirit, sci-
licet tantum, ut septem testes idonei supradicti
convocati audiant, & intelligant testatoris vo-
luntatem, coram eis scripto vel voce articulata
prolatam. Et si verò talis nuncupatio coram te-
stibus, à Notario in scriptum communiter redigi
soleat, id fit, non ad actus substantiam servan-
dam,

dam, sed ad meliorem probationem, & securita-
tem, si testes decedant vel inidonei reddantur. Si
autem testamentum careat solennitate debitâ,
dubiteturque, utrum Testator voluerit conficere
clausum, an apertum, valet ut nuncupativum, hæc
enim præsumitur Testatoris voluntas, ne actus
omnino corruat. *Sanch. L. 4. Conf. c. 1. D. 2. Lugo*
D. 24. Sect. 1. Bandi D. 6. c. 10. §. 1.

Porro præter has solennitates Jure communi
requisitas, aliæ sunt partialium locorum, quas in
singulis locis nõrunt periti Notarii, qui proinde,
ne impingatur, utiliter adhibentur.

Quæres: An Testamentum fit validum, cui de-
sunt solennitates à Jure Civili requisitæ.

Resp. 1. Si Testamentum factum fit ad causas
pias, etiam in foro externo eas non requiri, sed
sufficere eas, quæ sunt Juris Gentium, scilicet
duos testes; in foro autem conscientiæ, suppositâ
potestate disponentis, sufficere scripturam, nu-
tum, vel aliud signum Testatoris, absque ullo te-
ste. Quod si tamen manus testatoris non extet,
requiruntur duo testes in foro externo, inter quos
etiam fœmina esse potest, *Covarr. & alii 12. Dian.*
P. 7. T. 6. R. 16. Item Confessarius vel Parochus
esse potest, licet legata sint pro sua Ecclesia; idque
ad hoc tantum, ut voluntas Testatoris probari
possit, & Judex pro ea sententiam ferat. *Vid. Less.*
D. 2. & Lugo D. 22. Sect. 9. Ubi etiam probat', in
tali testamento ad pias causas non esse necessari-
am hæredis institutionem. Ac licet morte inter-
venientem non fuerit absolutum, valet tamen
quoad legata pia in eo jam expressa, *Malder.*
Laym. c. 2. Num. 6. Dian. P. 5. T. 3. Resol. 126.
An autem tale testamentum ad causas pias
principaliter factum, si solennitates desint, valeat

X x 2

quoad

22 quoad legata profana, controvertitur: negat
 22 *Bon. Q. 1. P. 3. N. 18. & Lugo n. 274.* Affirmat *Covar.*
 22 *Sa, Less. D. 2. N. 9. Fil. Sanch. D. 7. N. 2. Barbof. Trul.*
 22 *Tom. 2. L. 7. c. 18. D. 4. Dian. P. 7. T. 6. R. 4.* Denique
 22 testamentum ad causas pias non solenne revocat
 22 aliud solenne, etsi hujus mentionem non faciat.
 22 *Mol. & c. Dian. R. 25. 26.* Idque etiam si prius
 22 etiam fuerit ad causas pias, *Mol. & alii 6.* licet hoc
 22 posterius quidam negent. *V. Dia. R. 26. 27.*
 22 *Resp. 2.* Si testamentum factum est ad causas
 22 non pias, hominibus rusticanis quinque testes
 22 sufficiunt, si plures haberi nequeant: nec subscri-
 22 ptione opus erit, si literati non sint. *Laym. n. 16.*
 22 *Bonac. Q. 17. P. 5. N. 4.*
 22 *Resp. 3.* Tempore pestis non requiruntur
 22 septem testes simul congregati ad testamenti sub-
 22 scriptionem, sed sufficit, si singuli separatim ad-
 22 hibeantur. Adde, æquitatem postulare, ut quan-
 22 do testis vel Notarius haberi non possunt, ultimæ
 22 voluntates validæ pronuncientur, si de volunta-
 22 te defuncti liquidò constet: hinc in Camera Im-
 22 periali valet testamentum, peste valde grassante,
 22 conditum coram duobus vel tribus testibus, inter
 22 quos Confessarius esse potest: atque hæc vera
 22 sunt secundum Jus commune Cæsareum, seclusis
 22 specialibus locorum Statutis; nam Venetiis v. g.
 22 & Viennæ, duo testes ad testamentum sufficiunt.
 22 *V. Laym. c. 2.* Imò absolutè loquendo tempore
 22 pestis sufficere solennitates Juris Gentium, atque
 22 adeo tres vel duos testes, docet *Diana R. 34. ex Sa,*
 22 *Laym. & c.* atque inter eos esse posse fœminam, &
 22 Notarium ipsum (tamen si non sit immatricula-
 22 tus) modò non sit consanguineus vel affinis de-
 22 functi, *R. 36. ex Menoch. & c.* nec opus esse, ut sint
 rogati;

rogati; vel audiant vocem testantis (etsi hoc quidam requirant) modò eum videant. *Resolut.* 37. & 38. neque invalidari, licet ægrotus convalescat, *Resolut.* 39. ex *aliis* 8. Denique si Parochus scribat coram unico teste, habere vim testamenti saltem nuncupativam dicit *Mol. & Marcha: cum Diana* R. 34. & 41. *Vide etiam* P. 5. T. 3. R. 123.

Resp. 4. Etsi probabilis, & secunda sententia sit *Covar. Bonac. Q. 1. P. 3. N. 19. & aliorum*, testamentum factum ad causas non pias, sine solennitatibus Jure requisitis, invalidum esse in foro conscientie, præterquam quoad legata pia, *Mol. Lug. n. 273. Vasq. Sanch. D. 7. N. 3. Dian. P. 7. Tract. 6. R. 3.* contra *Barbosam*, ita ut hæres per illud institutus, & legatarius, teneantur ad restitutionem hæredibus ab intestato: contrarium tamen verius est, ideòque licitè retinetur, quod tali testamento possidetur. Ratio, quia illæ solennitates tantum requiruntur ad cavendam deceptionem. *Vid. Less. Lib. 2. c. 19. D. 3. Lugo D. 12. Sect. 9.* Unde secundum hanc sententiam, *resolves sequentia:*

I. Hæres ab intestato, si sciat voluntatem defuncti, tenetur restituere hæreditatem, & solvere legata iis, quibus testamento minus solenni, aut ex voluntate ejus debentur, *Mol. Less. contra Bonac. N. 6.*

II. Si dubius sit de voluntate testatoris, debet cum illis componere pro ratione dubii: quia cum nec ipse, nec alii cœperint adhuc possidere bona fide, in dubio par est eorum conditio. *Vid. Bonac. n. 8.*

III. Si hæres ab intestato retineat hæreditatem & legata, possunt illi, quibus aliquid per tale testamentum erat relictum, uti occultâ compensatione, quia revera res illæ erant ipsorum. *V. Bonac. n. 10.*

IV. Si hæres ab intestato fateatur, mentem testatoris fuisse, ut hæreditatem nomine fidei commissi alteri traderet, vel legatum aliquod solveret; aut si oblato Juramento jurare noluerit, cogendus est, etiam in foro externo, hæreditatem tradere, & solvere legatum.

V. Ob eandem causam idem dicendum est, si fateatur voluntatem testatoris fuisse, ut hæreditas, non ut fidei commissum, sed immediate perveniret ad alium; quia non est recurrendum ad fidem testium, vel ad Juris subtilitatem, quando is, cujus interest, ipse confitetur testatoris voluntatem. *Vid. Less. & Lugo n. 258.*

Resp. 5. Etsi probabile sit, Clericorum & Novitiorum testamenta facta ad causas non pias sine solennitatibus Juris non valere, *Molin. & alii 3.* cum tamen contrarium etiam sit probabile, *Suar. Sc.* potest hæres ex tali testamento hæreditatem adire pro foro conscientie. *Dian. P. 9. T. 9. R. 16.*

Resp. 6. Milites hujus temporis gaudent iisdem privilegiis testandi, quibus olim, dummodo in castris (vel in propinquo ex causa legitima) versentur, *Dian. P. 7. T. 6. R. 42. ex aliis 15. contra Baldum, Sc.* æquè adeo sufficiunt iis duo testes, (licet probabiliter nec hi requirantur. *Resol. 45.*) etiam non rogati, *R. 46. & alii quatuor contra Molin. Tom. 2. Disp. 129. Sc.* etiam aliàs in idonei, modò non sint impuberes, nec cæci, vel servi, *R. 47. Lugo, Vasq. Sc.* Neque opus est eorum subscriptione, vel signorum appositione, vel ut sint in conspectu testatoris, *ibidem.* Imò miles Jure militari (quo præsumitur esse testatus in dubio) potest testari solo nutu, *R. 49.* Potest etiam plura simul testamenta valida facere; vel pro parte testatus,

status, pro parte intestatus decedere, R. 53. & 55.²⁰
 Valétque ejus testamentum etiam post missio-²⁰
 nem honestam, sed non ultra annum, *Mol. Lugo*²⁰
 ll. cc. & c. R. 61. Denique possunt milites supra-²⁰
 dicto modo testari, licèt sint surdi & muti (saltem²⁰
 si in castris auditum & vocem amiserint.) *Diana*²⁰
 R. 48. 49. & 59. ex aliis.

A D D E N D A.

An omisso solennitatis à Jure requisitæ invali-
 det contractum, vide dicta à n. 716.

Quod *Busenbaum* ponit post *Resp. 4. in Resolut. 3.*
 nempe posse illos, quibus per testamentum non
 solenne aliquid relictum est, uti occultâ compen-
 satione, admitti non debet propter dicta P. 1. N.
 962.

Q. 200. Quid præterea notandum sit circa testamen- 1119
 ta. R. Seqq. §. 1. In ultimis voluntatibus, si aliæ so-
 lennitates à Jure requisitæ adsint, spectanda est,
 etiam pro foro externo, præcipuè mens Testato-
 ris, licèt rigor verborum non convincat, L. 96. ff.
de Reg. Juris: Testamentum autem inter liberos est
 maximè favorabile, valétque in foro externo, li-
 cèt aliquæ solennitates desint, L. *Hac consultissima*,
 21. §. *Ex imperfecto*, Cod. *De testamentis*. Vitanda
 etiam est interpretatio ultimæ voluntatis, quæ
 hanc facit carentem ratione, & illa amplectenda,
 quæ facit prudentem & circumspectam, *Less. in*
Auct. v. Testam. Casu 9.

§. 2. Si Caja præstiterit Cajo Marito mul- 1120
 ta obsequia indebita spe favorabilis testamenti,
 quod Titius addixerat, & spe catenæ aureæ,
 quam fieri fecerat, ut donaret Cajæ, interea autem
 moriatur Titius intestatus, & catenâ necdum
 paratâ, in hoc casu videtur dicendum, 1.
 Cajam nihil posse sibi ideo, quòd haberet

promissum favorabilis testamenti, occultè re tinerè ex bonis Titii , tum quia compensatio occulta non habet locum , nisi ubi est debitum certum , secundùm dicta P: 1: N: 962, tum quia necdum fuit assignatio testamentaria, sed tantùm animus assignandi. 2: Less: Casu 13: dicit probabile esse, quòd possit retinere catenam, aut accipere, quanti valebat, quia Titius agendo cum Aurifabro, satis significavit voluntatem suam esse, ut eam faceret Cajæ, & videtur sufficere talis implicita donatio, ex vi cujus provenisset donatio expressa, nisi mors intervenisset; item virtualis donatio, qualis hæc est, videtur in foro conscientiæ eandem vim habere, quam haberet expressa. Addit Jure naturali per voluntatem transferri dominia, si voluntas signo externo declaretur, quod videtur factum, quando jussit catenam in eum finem fieri. Oppositum videtur probabilius, quia ut donatio valeat secutâ morte donantis, debet res aliquo modo fuisse tradita, uti dictum est hîc n: 806, res autem hîc non fuit tradita, sed tradenda, multò minùs occultè accipere poterit, quanti catena valebat, quia debitum non est certum.

1121 Q: 201: Quid sit fidei-commissum & substitutio. R: §: 1: Fidei-commissum, est ultima voluntas, quâ Testator hæredem verbis precariis vel præceptivis gravat, ut hæreditatem totam vel ejus partem alteri restituat. Aliud est *universale*, quo tota hæreditas vel pars ejus aliquota committitur restituenda, & sic per fidei-commissum, uti & per codillos, potest indirectè institui hæres, nempe committendo fidei hæredis primi, ut hæreditatem vel aliquotam ejus partem alteri cedat. Aliud est *particulare*, quo nec tota hæreditas, nec aliquid velut pars illius committitur restituenda, sed tanquam aliquid

aliquid ab hæreditate distinctum, & tum re ipsa non differt à legato, uti habetur L: 2: Cod: *Communia de legatis*: jure tamen novissimo per hoc solet distingui, quòd fidei commissum particulare fiat verbis ad hæredem directis, v: g: hæres meus numerabit Titio 100: è contrà legatum verbis ad legatarium directis, v: g: lego Titio 100: æqualem autem obligationem causant verba in fideicommissis, sive sint precaria sive præceptiva, uti habetur §: 3: Inst: *De singulis rebus per fideicommissum*.

§: 2. Substitutio, est unius in alterius locum ad rem aliquam in ultima voluntate vocatio: Est autem duplex, directa & indirecta: Directa est, per quam substitutus hæreditatem testatoris consequitur immediatè & sine ministerio alterius primi instituti, uti si testator dixerit, Titius sit hæres, aut si hic non erit, sit Cajus: Indirecta est, per quam committitur fidei directi hæredis, ut hæreditatem tradat alteri, ideòque etiam dicitur fideicommissoria, quia substitutus accipit hæreditatem, non directè à testatore, sed à fideicommissario, uti si dixerit, Titius sit meus hæres, quem rogo, ut quando morietur, rem Cajo restituat: Differunt autem hæ duæ substitutiones, 1: Quòd directè institutus fiat verus hæres, & dicitur hæres fiduciarius; alter autem non fit strictè hæres, sed tantùm dicitur hæres fideicommissarius: 2: Directè substitutus potest obtinere hæreditatem, quamvis eam non obtineat primò institutus; è contrà indirectè substitutus nihil accipit, nisi priùs habuerit primò institutus, unde si hic moriatur ante testatorem, indirectè substitutus nullum habet jus: 3: Directè institutus acquirit hæreditatem sine diminutione; è contrà indirectè substitutus perdit quartam partem,

rem, secundum L. Trebellianicam, de qua dicitur n. 1171.

1123 Q. 202. An ille, qui originale testamentum vel alias literas infavorem sui factas amisit, possit privatim simile instrumentum confingere. R. §. 1. Si ablit præjudicium tertii, per hoc non committeretur crimen falsi, ut tenent Nav. & Saa apud Mend. in stat. d. 13. q. 16. uti nec ille est falsarius, qui in re aliqua mutat scripturam, dummodo veritati innitatur, uti docent Gravet. Alciat. Menoch. & alii cum Mend. n. 249. quia crimen falsi est *perversio veritatis cum dolo & alterius jactura*, quod hic non est.

1124 §. 2. Licet substituendo tale instrumentum nulli inferatur præjudicium, id tamen est illicitum, & meritò puniret forum externum, quia cum sic dari posset occasio fraudum, meritò id reprobatur Respub. ita Bald. Fas. Barb. Covarr. l. 1. Variarum. c. 2. n. 3. Laym. l. 3. t. 3. p. 1. c. 4. n. 3. Non esse autem mortale, docent Caj. & Saa; Et quamvis aliquis dicere possit hoc non esse nequidem contra veritatem, eò quòd directè intendatur tantum recuperatio vel conservatio rei suæ, licet per accidens alii decipiantur, putantes esse primum ac genuinum instrumentum, tamen Covarr. Laym. Mend. n. 252. melius dicunt esse etiam contra veritatem, quia talis intendit suam utilitatem per hoc, quòd aliis suadebitur illud esse primum instrumentum, ergo intendit aliorum errorem & deceptionem: deinde saltem scripto testatur eam esse subscriptionem Notarii vel alterius disponentis aut testantis, quod falsum est. Ex eadem ratione putat Mend. n. 253. eum peccare contra veritatem, qui utitur tali instrumento per alium confecto.

DUBIUM

D V B I V M III.

De Renuntiatione Hæreditatum.

Resp. I. Renunciatio futuræ hæreditatis, nisi²² 1125
 juramento firmetur, nullius roboris est. Ra-²²
 tio, quia ita jure cautum est, propter bonum pu-²²
 blicum. Excipe 1. Nisi quis in ipso testandi actu²²
 renuntiet juri successione; vel post testamentum²²
 conditum, in quo præteritus est, præteritionem²²
 suâ approbet. 2. Nisi hæres necessarius post debi-²²
 tam sibi portionem integram à parte acceptam²²
 reliquæ hæreditati renunciet; qui tamen, si bona²²
 patris postea augeantur, legitimam eorum por-²²
 tionem potest exigere. *Laym. l. 3. tr. 5. c. 7. n. 1.* ²²

Resp. II. Renunciatio hæreditatis, cum odiosa²²
 sit, & contra jus commune, strictæ interpretatio-²²
 nis esse debet. *Unde resolves Casus sequentes:* ²²

I. Non obstat renunciatio hæreditatis etiam²²
 jurata à filio facta, quò minùs ab eodem patre,²²
 mutatâ iterum voluntate, possit institui hæres.²²
Mol. Sanch. l. 7. c. 7. ²²

II. Si filius renunciavit in favorem fratris, eo²²
 mortuo ante patrem, is, qui renunciavit, in prima²²
 hæreditate succedere potest; imò etiam institui²²
 debet: quia causa renuntiationis cessavit. *Mol. d.*²²
579. n. 19. ²²

III. Filius post juratam renuntiationem, ni-²²
 hilominus succedere potest in iis bonis, quæ pa-²²
 ter ad secundas nuptias transiens, liberis ex prio-²²
 re matrimonio susceptis relinquere cogitur. Ra-²²
 tio, quia in his filius non succedit jure sanguinis,²²
 cui renunciavit; sed propter civiles Constitutio-²²
 nes, & favores, *Mol. n. 21.* ²²

IV. Etsi filia accipiens dotem à patre, dicat²²
 se eâ contentam, & renunciare paternæ hæredi-²²
 tati;

»tati; pactum tamen illud est invalidum, eoque
 »non obstante, potest postea petere complemen-
 »tum legitimæ portionis suæ, Ex L. pactum dotale,
 »Cod. De collat. L. Si quando C. De pactis, & cap. Quam-
 »vis pactum. De pactis 6. Mol. Sanch: l: 4: cons: c: 1: d:
 »34. Lugo Resp. mor. l. 6. 34.
 » V. Si parentes dent filiæ dotem infra portio-
 »nem legitimæ debitæ, inducantque eam coactio-
 »ne, vel fraude seu dolo ad renuntiandum legi-
 »timæ, non sunt in conscientia tuti, sed tenentur
 »illi restituere libertatem. Sanch: l: 4: de Matr: d: 9:
 »Lugo l: c. Ac licet filia, si renuntiationem jura-
 »mento firmaverit, eam servare teneatur, si tamen
 »dolus vel metus intervenerit, licebit relaxatio-
 »nem juramenti injustè extorti petere, eaque ob-
 »tentâ non tenebitur pacto, quod ex injusta coa-
 »ctione processit. V. Sanch. l. 3. mor. cap. 12. Lugo
 »de just. d. 22. s. 8. n. 195. & Resp: mor: l: 6: d: 24.
 » Resp. III. Omne pactum vel donatio de alterius
 »viventis hæreditate, ipso jure irrita est; v. g. irri-
 »tum est pactum, quo Titius hæreditatem, quam
 »sperat à Sempronio, promittit aut obligat Cajo.
 »Ratio, quia tales pactiones odiosæ sunt, & plenæ
 »periculis, ob insidias, quæ parantur ejus vitæ, su-
 »per cujus bonis fit pactio. Laym: n: 3.
 » Excipe 1. Nisi consentiat is, de cujus hæredi-
 »tate agitur, & in eo consensu usque ad mortem
 »perseveret. 2. Nisi renuntiatio fiat in favorem
 »Communitatis, seu Collegii, hic enim cessat præ-
 »sumptio, vel periculum insidiarum. 3. Nisi quis
 »ob Constitutiones Ordinis, & de omnibus bonis
 »& juribus acquisitis & acquirendis disponere de-
 »beat, idque in favorem Communitatis piæ, vel
 »etiam certæ personæ pauperis. Sanch: c: 2: num: 54:
 Lay.

Lay. n. 3: 4. Nisi fiat pactum circa hæreditatem personæ incertæ, v. g. si quæ mihi hæreditas ob venerit, dum vixero, tua esto, cessat enim periculum. *Mol. Sanch: l. 7: c. 2.*

Quæres. Quousque se extendat constitutio: *Trident: s. 25: c. 16: de Regularibus*; irritans donationes, & renuntiationes, etiam juratas, quæ fiunt ab ingredientibus Religionem, nisi fiant cum licentia Episcopi sive Vicarii, intra duos menses proximos ante professionem, & professio postea subsequatur.

Resp. I. Hanc constitutionem non habere locum in codicillis, testamentis, aut donationibus mortis causâ: quia hujus constitutionis ratio est, ne per renuntiationem hæreditatis, Novitiis imponatur necessitas profitendi; hæc enim ratio cessat in his ultimis voluntatibus; quippe quæ usque ad professionem revocabiles sunt: Quare valet adhuc hodie testamentum à Novitio conditum, neque rumpitur secutâ professione, etsi Monasterium in eo præteritum fuerit. *Sanch: l. 7: c. 5.* Qui autem licitè à Religione recedit, recuperat omnia bona cuicumque antè donata intuitu ingressus in Religionem.

Resp. II. Eâ constitutione non prohiberi donationem modicam, quia cessat ratio, *Sanch: n. 23.*

Resp. III. Eâ comprehendi renuntiationem beneficii Ecclesiastici: Ratio, quia hæc est amissio magni juris, ob quam libertas egrediendi è Religione impeditur. *Sanch: n. 37.*

Resp. IV. Per eandem etiam irritantur renuntiationes, quæ fiunt ante ingressum Religionis, intuitu, vel causâ impulsivâ ingrediendi: qualis intentio in dubio præsumitur, si non multò ante ingressum factæ sint: Ratio, tum quia Con-

cilium

»cilium absolute loquitur ; tum quia alias non
 »sufficiens consulisset libertati Novitiorum.
 »Nav. consil. l. 3. de Regular. consil. 82. Less. l. 2. c. 41. nu.
 »40. contra Sanch. cujus tamen sententia est pro-
 »babilis. Unde sic donatum tuto retineri potest ,
 »donec per sententiam Judicis rescindatur.

» Resp. V. Irritam etiam esse donationem seu re-
 »nuntiationem bonorum , sub conditione pro-
 »fessionis edendæ factam , ita ut eâ non secutâ
 »corruat. Nav. Sanch. n. 17. Mol. Sc. to. 1. de just.
 »disp. 149. n. 4. Ratio , quia donantes, seu renunti-
 »antes, ægre contristant donatarios, ut eos de pos-
 »sessione semel capta dejiciant : & Monasteria, quæ
 »tales donationes acceperunt, omnes modos adhi-
 »bent, ut tales ad professionem inducantur. Laym.
 »l. 3. tr. 5. c. 7. n. 8.

» Resp. VI. Non obstante hac constitutione, va-
 »lidas esse renuntiationes aut donationes , ante
 »vel post ingressum Societatis JESU factas , juxta
 »ejus Constitutiones. Ratio , quia Tridentinum
 »Societatem disertè excipit. Dixi, juxta Constitutio-
 »nes , quia in iis donationibus , quæ contra Consti-
 »tutiones fiunt, non videtur habere locum : quia
 »Tridentinum id voluit in favorem Societatis :
 »Quod autem ob gratiam alterius conceditur, non
 »est in ejus dispendium retorquendum. Mol.
 »Sanch: Laym: l. c.

A D D E N D A.

8126 Q: 203: Si Cajus Societatem JESU ingressurus do-
 navit Fratri suo certa bona, addito pacto non revocandi,
 sed sub conditione, si permaneat in Societate, an hæc di-
 spositio teneat. R. S. 1. Huic dispositioni non obstat
 Tridentinum Sess: 25: Cap: 16: De Regul. quia Decre-
 tum

tum *Trid.* non habet locum in renuntiationibus ante ingressum factis, etiam si intuitu Religionis fiant, uti expressè declarârunt Interpretes Tridentini apud *Gallemaert* ad hunc locum, & apud *Dian:* p: 3: t: 2. R: 55. docentque cum alijs *Sanch:* in Dec: l: 7: c: 5. à n: 3. & *Castrop:* T: 16. d: 1. p: 17. n. 4. quamvis contradicant multi cum *Barbosa* de Off. Episc. alleg. 99. n. 16. & *Pirh.* l. 3. t. 31. n. 81. Et quamvis haberet locum etiam in ingressuris alios Ordines, non tamen habet locum in ingressuris Societatem, quia *Trid.* addit se nihil circa illam innovare, sed relinquere immutatum ejus Institutum: Itaque hæc quæstio resolvi debet ex jure, vel communi, vel particulari Societatis.

§. 2. Renunciatio *Caji* videtur de jure communi esse valida & irrevocabilis, quia nihil deest illi ad valorem donationis inter vivos, suppono enim adfuisse reliqua in *Cajo*, ut validè donare posset. *Opponit Barb.* n. 32. decisum esse in *Rota*, quòd talis donatio facta ob ingressum Religionis revocari possit, quia est veluti mortis causâ: *Contrà* est, nam supponimus esse donationem inter vivos, secundùm dicta hîc n. 816. Deinde talis decisio *Rotæ* non est regula Juris, nec necessariò sequenda, uti dictum est l. 1. n. 576. Quid autem tenendum sit, si renunciatio fiat per modum testamenti, dicetur l. 4. n. 98.

§. 3. Valor istius renuntiationis non videtur impediri, sed potiùs firmari per Institutum Societatis, nam *Examen generale* cap. 4. §. 1. dicit, *Quicumque Societatem ingredi volent, antequam in domo aliqua vel Collegio ejus vivere sub obedientia incipiant, debent omnia bona sua temporalia, quæ habuerunt, distribuere & renuntiare, ac disponere de iis, quæ ipsis obvenire possint.*

possint. Quòd autem ibi loquatur de ingressuris Novitiatum, patet ex §. 2. ubi additur, quòd si statim propter aliquas honestas causas bona non relinquet, promittat se promptè derelicturum omnia; quandoque per Superiorem injunctum ei fuerit. Idem clarissimè habetur. p. 3. Constit. c. 1. l. G. in declarationibus his verbis, *Ante ingressum quivis de bonis suis temporalibus pro suo arbitratu statuere potest: Et ideo Less. l. 2. c. 41, n. 41. ait, ante ingressum Societatis potest quis validè disponere de rebus suis in quascunque causas. & Sanch. n. 10. Valent renuntiationes & donationes factæ ante ingressum Societatis.*

Respondet Haun. t. 2: c. 6. n. 217. tantùm fieri potestatem disponendi dispositione absolutâ, nam in Examine §. 1. expressè additur, disponendo tamen hæc bona juxta propriam devotionem, & à se omnem fiduciam submovendo eadem ullo tempore recuperandi. Causus autem hîc conditionatè tantùm disposuit, & cum spe recuperandi, si nempe non maneret in Societate, ergo non disposuit juxta Institutum, ergo non validè. Contra, dissimulatis reliquis N. ult. conseq. quia quamvis Institutum fortè intendat talem dispositionem fieri absolutè sine spe recuperandi, tamen probari non potest, quòd aliter factam invalidet, standum autem est pro valore actûs, quamdiu clarè non constat esse invalidum.

Nec obstat, quòd dicatur, debent omnia bona temporalia distribuere: Nam Tò debent, in materia odiosa, & quæ est contra jus commune, non est explicandum ultra vim verbi, quod ad summùm significat Societatem optare aut velle, ut sic absolutè disponatur sine spe recuperandi, sed non ideo impeditur valor: hinc Sanch. suprâ docet jam ingressos

gressos Societatem posse validè, quamvis illicitè, disponere in favorem cujuscunque de rebus suis, etiam contra Constitutiones & voluntatem Superiorum. Quòd autem Tò debent, non significet impediri valorem actûs, patet ex eodem capite 4. Examinis, ubi §. 16. dicitur, *antequam ingrediantur in secundum annum probationis, per 6. menses omnes vacare hujusmodi 6. experimentis debent*: item §. 27. dicitur, quòd emissuri professionem per triduum mendicare debent, neque tamen dici potest, quòd secundus annus Novitiatûs aut Professio sit invalida, si quis etiam culpabiliter tale aliquid non præmittat. An & quomodo Novitius vel Scholasticus Societatis possit disponere de rebus suis, dicitur l. 4. num. 102. & 103.

D V B I V M IV.

Qui possint & debeant esse Executores Testamenti.

Resp. I. Si à testatore nominari possunt unus, vel plures ex hæredibus, vel non hæredibus nec tantùm masculus, sed etiam fœmina: *Sanch. Wading. Dia. p. 8. r. 5. R. 4.* non tantùm Laicus, sed etiam Clericus, & Religiosus: Hic tamen non sine sui Prælati licentia; & quidem Generalis, si sit Societatis JESU: Fratres de Observantia, nullo modo. Quòd si tamen Religiosus, contra Canonum decreta, executor testamenti sit, acta ejus valent. *Ita Laym. l. 3. r. 5. c. 11.* Et ratio est, quia spectato jure naturali, sufficit voluntas testatoris & executoris: nec Canones executionem Religiosi infirmant, sed prohibent tantùm. *V. Bon. de cont. d. 3. q. 18. p. 3. num. 10. Dian. R. 9. 10.* Et licèt im-

Tom. III.

Yy

pubes

»pubes executor esse non possit, potest tamen
 »Minor, si explevit annum 17. *Sanch: Lug: Wading.*
 »*Dian. R: 6.* Nullus autem cogi potest, ut sit execu-
 »tor, *Dian. R. 27.* detrectans tamen hoc ipso perdit
 »legatum, (saltem quod in præmium muneris ei
 »relictum fuit) ceditque hoc aliis executoribus.
 »*Mol: to: 1: disp: 248: n: 5: Lug: Dian: R: 27: contra*
 »*Wading.*

» *Resp. II.* Si nullus à testatore nominatus est exe-
 »cutor, executio pertinet ad hæredem, etiam quo-
 »ad legata pia: quo tamen casu Episcopus jure
 »communi ad se pertrahere potest. *Laym. n. 1.*

» *Resp. III.* Executor non potest officio fungi per
 »alium, nisi Testator id ei permiserit, aut nisi com-
 »mittatur executio nudi facti jam declarati. *Sanch:*
 »*Lugo, Dian. R. 26.*

» *Queres. I.* An Religiosus executor, legatum in
 »pias causas, Monasterio suo applicare possit.

» *Resp.* Possit. Ratio, quia si quid obstaret, esset
 »ex eo, quòd executor etiam indigens, elemosy-
 »nam sibi ex testamento applicare nequeat, nisi te-
 »stator indigentiam ejus ignoraverit, aut ea post-
 »modum supervenerit, cùm, si eam cognovisset,
 »certum quid ei legaturus fuisse videatur; sed hæc
 »ratio non ligat, quia causa Monasterii distincta est
 »à causa seu persona Professi; sicut causa Ecclesiæ
 »à causa Beneficiati. Unde etiam quivis jussus ali-
 »quid dare pauperibus, potest id tribuere cogna-
 »tis, vel filiis suis, quia evidens est distinctio inter
 »donantem & accipientem. *Sylv. Sanch: lib: 6: cap: 11:*
 »*n: 59. Vid. Dian: R: 46.* Porrò ad pias causas legata
 »dicuntur, quæ intuitu pietatis relicta sunt, nimi-
 »rum, 1. Loco vel personæ sacræ. 2. Hospitali. 3.
 »Confraternitatibus. 4. Pupillis & Orphanis. 5.

Quod

Quod causâ alimentorum iis , qui indigent. 6.²⁰
 Quod causâ studii saltem Theologici. 7. Ad con-²⁰
 structionem monumenti. 8. Ad utilitatem publi-²⁰
 cam, v: g: pro munienda urbe in necessitate, vel²⁰
 viis reficiendis. *Dia: p: 7: t: 6: R: 29: & 30. ex Bald: 20*
& c: mult. 20

Quæres II. Quomodo relicta incerta executioni 20
 sint mandanda. 20

Resp. I. Si incertitudo fit ex parte legatarii, v: g: 20
 quia sunt duo ejusdem nominis & amicitia erga²⁰
 testatorem, jure civili corrumpit legatum ; in foro²⁰
 conscientia tamen tenetur executor inter eos di-²⁰
 videre æqualiter, si in id consentiant. *Mol: to: 1: 20*
disp: 197: num: 1: & 2: & c. Dia: p: 3: t: 5: R: 58. Trull: 20
to: 2: l: 7: c: 18: d: 1: n: 23. II. Legata ad causas pias, ob 20
 incertitudinem loci, vel Ecclesie, non fiunt ca-²⁰
 duca; sed plerumque pauperiori Ecclesie, vel Xe-²⁰
 nodochio danda erunt. III. Si incertitudo fit ex²⁰
 parte rei legatae, videndum, an terminos à natura²⁰
 habeat, ut v. g. bos & equus; vel ab arte & indu-²⁰
 stria, ut domus, vestis, &c. Si à natura habeat, dan-²⁰
 da est una ex mediocribus; si ab arte, electio ad²⁰
 hæredem pertinet, qui rem in eo genere mini-²⁰
 mam dando satisfacit: Idemque dicendum est de²⁰
 legatis, in numero, pondere, & mensura confi-²⁰
 stentibus. *Vid. Laym: n: 7: 8: 9. 20*

Resp. II. Si acceperint summam pecuniae di- 20
 stribuendam pauperibus, non tenentur dare²⁰
 pauperioribus; possuntque etiam dare hospitali-²⁰
 bus, Ecclesiis, (quæ ornamentis, vel fabrica²⁰
 indigent,) Monasteriis, vel iis, qui secundum²⁰
 suum statum non possunt vivere, sive ii sint opi-²⁰
 fices, sive altioris conditionis, etiam Nobiles,²⁰
Vasq: Molin: & alii 8. dummodo tamen non con- 20
 stet, vel ex signis colligatur, aliam fuisse inten-²⁰

tionem testatoris , quæ semper attendenda est.
 » *Dia. p. 2. t. 1. R. 8.* Si verò designaverint semel cer-
 » tos pauperes , non posse eos variare docet *Wa-*
 » *ding.* sed affirmat *Lug. V. Dia. p. 8. t. 5. R. 50.* & *p. 2. t.*
 » *16. R. 19.* Possunt etiam sibi ipsis, vel suis cognatis,
 » si verè pauperes sint , præsertim si testator id
 » ignoraverit, eam applicare, *Wading. Dicast. Dian.*
 » *p. 8. t. 5. R. 46. & 47.*

» *Quæres III.* An legata ad certas pias causas ,
 » possint ab executore, vel Episcopo commutari in
 » alium pium usum :

» *Resp. I.* Si voluntas testatoris impleri potest
 » justè & honestè , non licet eam commutare in
 » opus quantumcunque melius, nisi ex dispensatio-
 » ne Pontificis, & justa de causa, *Mol. Vad. Dia. p. 1.*
 » *t. 17. R. 26.* & *p. 8. t. 5. R. 63.* & c. communiter con-
 » tra *Vasq. & aliquos*, qui docent, Episcopum posse
 » commutare in æquale vel melius. Interdum ta-
 » men ad Episcopum, hæredes & executores perti-
 » net, secundùm epykiam interpretari, non alie-
 » num esse à defuncti voluntate , si mutatio fiat ;
 » v. g. si testator pecuniam Ecclesiæ legaret ad ca-
 » lices comparandos, & Ecclesia non egeat calici-
 » bus, *Mol. Lay. n. 10. V. Vasq. opusc. de test. ca. 8. §. 5.*
 » *dub. 3. n. 104. Trul. to. 2. l. 7. c. 18. d. 12. n. 30. Barbosa.*
 » *de off. Episc. alleg. 83.*

» *Resp. II.* Si ad usum à testatore destinatum
 » applicari nequeunt, non ideo fiunt caduca, sed
 » arbitrio Episcopi & executoris ad aliam piam
 » causam applicanda fiunt ; ita tamen, ut quoad fieri
 » potest, defuncti voluntas impleatur. Ratio est,
 » quia is principaliter intendit ea in salutem animæ
 » suæ, ad Dei honorem relinquere. *Mol. d. 294.*
 » *Bon. q. 17: p. 8: §. 9. n. 4. Barbosa. l. 6.* Ex dictis resol-
 » vuntur sequentes Casus.

L Si

I. Si testator pauperi determinato aliquid legavit, hic autem ante solutionem moriatur, hæres illud tenetur alteri pauperi dare; quia præsumitur legatum pium factum in beneficium animæ testatoris, adeoque designatio pauperis demonstrativè, non taxativè facta fuisse: nisi tamen aliud constet, vel ex circumstantiis colligatur de testatoris intentione; de qua, si maneat dubium, manet data resolutio. *Mol: Sanch: Bardi d: 6: c: 10: §: 7.*

II. Si legata pia inveniantur inducta, & non constet de testatoris intentione, tenetur hæres ea solvere, quia præsumitur id fortuito ac casualiter, & non ex testatoris voluntate accidisse. *Bard: §: 17.*

III. Si Testator legaverit Summam pecuniæ pro certo numero Sacrorum, hæres autem eam Summam Sacerdoti cuiquam bono tradiderit, ac postea ob mortem dicti Sacerdotis, aliamve ob causam dubitet prudenter, an Sacrificia illa sint peracta, non tenetur curare ea iterum celebranda, quia satisfecit testatoris voluntati. *Bard: §: 22.*

Quæres. IV. Intra quod tempus, quo ordine & modo hæredes & executores, defuncti voluntatem exequi debeant & quis cogere possit.

Resp. I. Teneri statim post aditam hæreditatem, confectumque inventarium, etiam intra annum, nisi justo impedimento excusentur: Imò in legatis piis infra sex menses. *Molin: Usq: Dian: p: 8: t: 5: R: 53.* Ne etiam si hæreditas non sit adita, eò quòd vel ante fuerit mortuus, vel eam repudiaverit. *Jovarr. & alii tres, Dian: p: 7: t: 6: R: 25.* Unde si differant notabiliter, (præsertim solutionem piorum legatorum) aut negligant

negligant exequi, graviter peccant; tenenturque
 damnum, quod alii ipforum culpâ acceperunt,
 compensare. *Bon: d: 3: q: 18: p: 4: n: 1: Nav: c: 25:*
Lugo, Dian. R: 52.

Resp. II. Ab utroque Judice, Ecclesiastico & sæ-
 culari compelli possunt, (si tamen laici sunt)
 Quòd si post annum à monitione Judicis vel E-
 piscopi exequi negligant, omni commodo (ex-
 ceptâ totâ legitimâ, si hæredes necessarii sunt) ex
 testamento ipsis proveniente privantur. *V. Laym.*
l: 3: tr: 5: cap: 11: n: 13: Lugo, d: 26: Dian: p: 3: t: 5:
R: 59: Valerum, Trul. d. 11. n. 7. imò si intra annum
 negligant exequi, jus executionis devolvitur ad
 Episcopum. *Mol. & alii 8. Dian. p: 8: t: 5: R: 40. Nec*
 admittitur purgatio moræ. *Sanch: Dia: R: 33: & 34.*
 sed tenetur Episcopus exequi, removendo illos
 ab executione, & emolumentis spoliando: atque
 in defectum Episcopi, idem potest Metropolita-
 nus. *Mol: to: 1: disp: 250: Merol: Dia: R: 57.*

Resp. III. Executor tenetur omnia exequi se-
 cundum mentem testatoris, ad hoc tamen Exe-
 cutor particularis non potest vendere bona de-
 functi, nisi hic ita statuerit; universalis autem po-
 test, *Lugo d: 24: f: 16: Dian: R: 32.* Neque potest
 unquam invito hærede rem legatam dare lega-
 tario; quia non potest nisi per Judicem spoliare
 hæredem suâ possessione; licet teneatur monere
 Episcopum, ut hæredem cogat. *Sanch: Lugo: Dian:*
R: 38. Quòd si bona non sufficiant ad legata
 omnia solvenda, distribuenda sunt omnibus æ-
 qualiter pro rata (etiam si hæres sit pia, & licet uni res
 certa, & in individuo sit legata) nec licet uni præ-
 aliis gratificari, quia par omnium est ratio & jus,
Sylv: Sanch: Bonac: Dian: Trull: d: 12: n: 23.

Resp.

Resp. IV. Tenentur executores reddere ratio-
nem executionis (idque probabiliter, etiam si te-
stator eos hoc onere liberasset) exceptis iis, quæ
testator iussit erogari secretò, *Dian. R. 34. & alii*
35. possuntque ad hoc cogi ab Episcopo, vel Ca-
pitulo Sede vacante, *R. 36. 37. & 62.* nisi sint Regu-
lares plenè exempti, quos cogi posse alii negant,
affirmant alii, ut *Vid. l. c.* Denique non debetur
iis salarium, cum sit officium voluntarium ami-
citiae: si tamen damnum ex eo patiantur, vel sint
etiam administratores bonorum, debet assigna-
ri à Iudice, *Lugo d. 24: num: 335: Vid: Dian. R. 39.*
Plura de executione piarum & ultimarum vo-
luntatum, *Vid: apud Trull: & Dian: ll: cc: & Barb:*
l: 3: de jure unius c: 27.

A D D E N D A.

Q: 204: Quid notandum sit præterea circa disposi- 1130
tiones ad pias causas. R. Præter dicta à n. 811. notan-
da sunt seqq. §. 1. Valere testamentum ad piam
causam omissis omnibus solennitatibus, dummo-
do constet de voluntate testatoris, v. g. si scripserit
aut subscripserit, si hæres agnoscat ejus manum,
aut ab eo immediatè audièrit &c. docent AA. ita
communiter, ut *Haun.* dicat se non invenisse cele-
brem Theologum contrarium. *Objici potest cap.*
Relatum 11: De Testam: Ubi itex: III: ait, Manda-
mus quatenus cum aliqua causa talis ad vestrum fuerit
examen deducta, eam non secundum leges, sed secundum
Decretorum statuta tractetis, tribus aut duobus legitimis
testibus requisitis. R. Hos non requiri pro foro inter-
no, aut ad substantiam, sed tantum pro foro ex-
terno ad probationem testamenti, quia posset te-
stator

stator non satis pro foro externo voluntatem suam manifestasse. *Nec obstat*, quòd plures Juristæ ad substantiam testamenti, etiam ad pias causas, requirant saltem duos testes, quam sententiam *Julius Clarus* q. 7. asserit olim fuisse communiorem, nam idem subjungit, se nec sibi nec amico suasurum, ut eam practicet, maximè cum ab ea recedant omnes Theologi & plurimi Canonistæ. Notat tamen *Illf.* t. 4. d. 4. n. 480. hæredem non teneri credere uni testi, uti habetur cap. 23. *De testibus & Artest.* hoc enim foret obnoxium pluribus fraudibus; & hinc *Christus* Matth. 18. dicit, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Vide etiam dicenda l. 4: n: 1517. Pro Archi-Diœcesi tamen Coloniensi declarat Synodus anno 1662. habita, p. 2. tit: 13: c: 3: §: 1: pag: 116: quòd testamenta Ecclesiasticorum facta sine Notario vel Pastore & 2: testibus, sint invalida, quamvis admittat legata ad pias causas valere, tantum scripta aut subscripta à testatore.

1131 §: 2: Quamvis testamenta per nutus facta; item captatoria, id est, cum commissione ad arbitrium alterius, communiter censeantur nulla, si fiant ad causas profanas, tamen valent ad causam piam, uti de testamento per nutum docet cum aliis *Illf.* supra, & de testamento cum commissione habetur cap: 13: *De Testam.*

1132 §: 3. Si voluntas testantis sit ambigua, interpretanda est pro pia causa, *Tiraq:* de privilegiis piæ causæ, privil. 165. & dictum est hîc num: 813: licet videatur dissentire *Sanch:* in Decal: l: 4: c: 15: n: 46: dicens verba testatoris esse latè interpretanda in favorem hæredis, etiam contra piam causam, quia præsumitur plùs dilexisse hæredem quàm legatarios;

rios; sed facile respondetur præsumi debere, quòd adhuc plùs dilexerit animam suàm quàm hæredē: unde licet aliàs, non quod majus est & melius, sed quod est minus, in dubio veniat, tamen quando legatum factum est in genere vel obscure, si sit ad piam causam, quod majus est, debetur, quia propter Dei honorem & utilitatem animæ augetur interpretatio testamenti, *Tiraq. Privil. 25.* Unde si annum legatum pro anima absolutè relictum sit, censeri debet perpetuum, hinc *Alexander VII.* damnavit hanc 43. propositionem: *Annuum legatum pro anima relictum non durat plus quàm per 10. annos.* Circa dubias ejusmodi dispositiones videri potest *Delbene de Immun. Eccle. c. 8. D. 21. S. 14. & seqq.*

§. 4. Hæres ante omnia tenetur exequi, quidquid defunctus disposuit ad pias causas pro sua anima, *Tiraq. Privil. 133,* & constat ex *Cap. Ultima, 4. 13. Q. 2. L. 24. Cod. De Episcopis,* & *L. 28. ibidem,* item ex *L. 49. ibidem.* 1133

§. 5. Executorem non posse exequi pia legata ante aditam hæreditatem, docent *Covarruv. Jason, Tiraq. Privileg. 34,* quia *Si nemo subiit hæreditatem, omnis vis testamenti solvitur,* *Regula 181. ff. De Reg. Juris,* & similia habentur *L. 9. ff. De Testam. Tut. & alibi sæpe; nihilominus alii cum Baldo in L. 37. Cod. De Episc. & Clericis. num. 9. tenent contrarium ob rationem, quam referunt Bartol. Abb: alii que cum Menoch: Conf: 224. N: 23. P: 3, nempe quòd Lex magis faveat piæ causæ quàm filiis, exceptâ legitimâ. Addit *Jllsung n. 480.* legata ad pias causas debentur etiam repudiatâ hæreditate. 1134*

§. 6. Executores etiam festivis diebus possunt exequi pias causas, *ne conscientia defuncti voto diu irretita detineatur,* uti loquuntur AA; tenentur autem 1135

legata pia exequi intra 6. menses, uti notat *Covarr: de Testam: c. 3*, putatque *Baldus in L. Captatorias, 11. Cod: De Testam: milit: num. 12.* tempus, intra quod tenentur exequi, incipere à morte testatoris, & currere in favorem conscientiae defuncti, non tantum ignorantibus, sed etiam impeditis; alii tamen cum *Covarr: supra* & apud *Molin. T. 2. D. 251.* dicunt tempus non currere, nisi à die scientiae & aditae hereditatis, aut saltem insinuationis testamenti; si autem Testator expresserit, ut post 6. menses 100. Floreni dentur Pauperibus, probabile est posse id fieri maturius; potestque de hoc videri *Covar: c. 17: n. 8: & Mol: supra.*

1136 §. 7. *Benedictus XI.* in Extravag. 1. *Inter cunctas, Tit: 7. De Privil.* sub finem, sic statuit, *Relicta Pauperibus non patiuntur Falcidiam.* Idem habetur *L. Si quis 49. Cod. De Episc: & Authent: Similiter, Cod. Ad L: Falcidiam,* docetque cum aliis *Tiraq: Privil: 26.* Nec Trebellianica deducitur, *Covarruv: Less: in Auct. v. Testam: Casu 5. Tiraquel: Privileg: 27.* Quid autem intelligatur per Falcidiam & Trebellianicam, dicitur à n. 1170. Et licet diminutio in codicillis sit facta per verba generalia eorum, quae relicta erant in testamento, non tamen extenditur ad ea, quae in ipso relicta erant ad pias causas, sed haec debentur integra, *Tiraquel: Privil: 19.* Quamvis autem alias legata diminuantur pro rata, ut omnibus sufficiant, tamen *Tiraq: Privil: 72:* putat legata pia ante omnia deduci tanquam a alienum, etiam si aliis legatis non piis bona non sufficiant; sed in hoc contradicit cum aliis *Busenbaum: Addit Tiraq: Privil: 81:* executorem testamenti posse praestare legata pia inconsulto haerede; sed in hoc videntur etiam contradicere alii cum *Busenbaum:*

§: 8:

§. 8. Si legatum pium fuerit relictum sub condi- 1137
 tione mixta, quæ non fuerit impleta propter ca-
 sum fortuitum, nihilominus debetur, etiam si non
 steterit per hæredem, *Tiraq. Privil. 57. & 58.* Simi-
 liter quamvis legata profana maneant hæredi, si
 eorum executio fieri non possit in ea specie, in qua
 relicta sunt, id tamen non tenet de legatis piis, sed
 hæres debet hæc convertere in similem usum pi-
 um, uti ex Jure ostendunt *Covar. Mol. D. 249. N. 7.*
Delbene Sect. 16. & ex Trid. Sess. 25: Cap. 8. de Reform.
colligit Haunold: T: 2: T: 7: N: 347. Et ratio est, quia
 Testator voluit expendi in bonum animæ suæ. Vi-
 deri potest *Molina Disp: cit.*

§. 9. Quando in testamento ponitur hæc clausu- 1138
 la: *Si sine liberis decessero, volo, ut hoc prædium cedat Ec-
 clesiæ:* Si Testatori nascatur proles posthuma, sed
 solum semestris vel octomestris, quæ statim mo-
 riatur, illud prædium debetur Ecclesiæ, uti tenent
 plurimi cum *Menoch: de Præsumptionibus L. 4.*
Præsumpt: 89: N: 111. Possuntque plures casus
 apud eundem videri, in quibus manet ejusmodi
 substitutio.

§. 10. Si Titius constituat Cajam hæredem sub 1139
 hac clausula, *ut si moriatur absque prole legitima, bona
 redeant ad Amicos,* si Caja profiteatur in Monasterio,
 in primis nullum Jus competit substitutis ante
 naturalem mortem Cajæ, quia per Professionem
 non moritur verè, sed tantum fictè: dein hæc hæ-
 reditas absolutè & in perpetuum relinqui potest
 Monasterio, quod tanquam Filius excludet omnes
 substitutos, uti habet *Novella 123. De Episc: Cap: 37,*
 quæ solum excipit, nisi substitutio facta sit in aliam
 piam causam: idem insinuat *Auth. Nisi rogati, ad
 S. C. Trebel. Idem definitur Cap: 8. De Probationibus,*
 ubi

ubi id dicit etiam *Glossa*, docentque communiter Doctores cum *Gomez*, *Alex: Decio*, *Molin. Less: in Auct: v. Testam. Casu 3*, estque ideo statutum, ne quis per hoc retrahatur à statu perfectiore. Videri potest *Covar. L: 1: variar: c: 19*. Quòd si clausula fuisset, ut si decederet sine prole, bona cederent alteri cause piæ, adhuc probabile dicit esse *Less*. Casu 4. Monasterium Jure perpetuo posse succedere, quia ex communi ferè Canonistarum non censetur sine liberis decessisse, qui Monasterium ingreditur, cum Monasterium sit liberorum instar: sed probabilius est oppositum cum *Covar: Molin: Disp: 207*. aliisque multis, quia substitutionem ad piam causam expressè excipit *Novella* suprà.

1140 §. 11. Si quis constituat Cajum hæredem, sub conditione, si non ingrediatur Religionem, talis clausula ordinariè habenda est pro non adjecta, nec obligat in conscientia, uti sequitur ex dictis à n. 599. docentque *Silv. Med. Panormitan. Less. Casu 2*. aliique communiùs cum *Delbene de Immun. Eccl. c. 8. D. 21. S. 3*, ac probabile fatentur *Covar. & Mol.* videturque decisum in *Novella* suprà & egregiè tradit *Felin: Cap. In presentia, De Probat. N. 37*. Dixi, ordinariè, quia si aliunde resciretur mens testatoris fuisse, non quòd vellet deterrere à Religione, sed quia scivisset Cajum fore magis indigum, si Religionem non ingrederetur, probabiliter haberet locum distinctio jam referenda ex *Barbosa*, & fatetur etià *Delbene* non esse omnino improbabile.

1141 §. 12. Si sic fiat dispositio: *Lego Cajæ 200. si nubat; si autem ingrediatur Religionem, lego 100.* alii dicunt, si ingrediatur Religionem, deberi 200, alii tantum 100, uti videri potest apud *Covar. suprà, Mol: D. 207. Sanch: de Matr. L. 5. D. 34: N. 13: Less. L: 2: c: 18: Dub: 153* sed

fed *Barbosa* de Offic. Episc. Alleg. § 3. N. 28, licet dicat probabilius esse, si ingrediatur Religionem, deberi 200, tamen postea melius sic distinguit, si Testator ideo ita legavit, ut absterreret à Religione, debentur 200; si autem ideo legavit, quia maritanda eget majori dote, debentur tantum 100, unde si dispositio diceret aliquid dandum maritandis, docet idem *Barbosa* n. 26. cum aliis 22. Auctoribus, quos refert, non posse dari ingressuris Religionem.

§. 13. Si Titius bona sua legaverit alicui Ecclesiæ, sub onere, ut singulis diebus Missa ibi celebretur, ita, ut, si vel semel omitteretur, bona hoc ipso devolverentur ad proximum suum consanguineum, si vel semel culpabiliter omittatur, Ecclesia est privata, uti rectè *Beja* P. 1. Casu 41, quia pœnæ appositæ ultimis voluntatibus censendæ sunt potius conditiones, uti n. 606. dictum est, ideòque videntur obligare, etiamsi alter non exigat vel moneat.

§. 14. Si legatum sic habeat: *Pauperibus in die sepulturae meae distribuantur 100 daleri, & dubitetur*, an voluerit dari pauperibus inquilinis, an etiam exteris, inquiri debet in mentem testatoris, apud illos, qui scripserunt, vel adfuerunt confectio-
 1142
 1143
 testamenti, aut præsumendum est ex circumstantiis; nam si pauperes loci voluit adesse suo funeri, si statuerat his benefacere, videtur ad hos solos respexisse; si autem de ea mente non constet, poterit dari etiam exteris, uti probabile esse docet *Bonacina* de Contract. D: 3: Q: 17: Punct: 8: §: 4: N: 2: *Diana* P: 4: Tract: 4: R: 140: & alii, quos citant. Oppositum tamen valde probabiliter tenent alii cum *Sanch:* in Conf: L: 4: c: 1: D: 60: Nam L: *Si quis ad declinandam* 49. Cod. De Episc: & Cler. sic habetur §: 3: *Ubi indistinctè pauperes scripti sunt hæredes, ibi Zenonem ejus*
 civi-

civitatibus omni modo hæreditatem nancisci; sed responderi potest, id, quod statutum est de hæreditate, non esse opus extendere ad legata. Posse autem sub pauperibus comprehendere etiam Monasteria Mendicantium, putat *Lessius v. Testamentum, casu 6*, nisi speciatim pro illis factum sit aliud legatum, sed videtur dissentire *Delbene n. 17*.

1144 §. 15. Si Testator iussit per 10. successivè annos certam summam erogari pauperibus, hæres potest totam quantitatem simul primo anno erogare, quia sic citius prodest animæ defuncti, & hic censetur in favorem hæredis divisisse per plures annos; ita *Bald. Dec. Covar. Molin. Barbos. de Offic. Episc. Alleg. 83. N. 25. & alii contra Bart. & plerosque alios*.

1145 §. 16. Quamvis Religiosi non possint esse executores testamentorum, nisi impetratâ Superiorum licentiâ, *Cap. 2. De Testam. in 6, & Clement. L. 3. Tit. 6. De Testam*; ita quidem, ut executio per illos facta secundum *Decium & Covar. de Testam. c. 17. Num. 2.* contra *Laym. Busenb. & alios* invalida sit; si tamen fuerit executio piæ causæ, erit valida, etiam sine Superioris licentiâ, *Ludovic. Roman. Conf. 409.* Circa Religiosos Societatis JESU, quomodo specialiter prohibeantur esse executores testamentorum etiam ad piæ causas, videri potest *Lugo in Resp. Mor. L. 4. Dub. 29. & aliquid dicemus Lib. 4. N. 146.* Et circa dispositiones piæ videri possunt plura apud *Delbene de Immun. Eccl. c. 8. D. 21. Sect. 13. & seqq.*

1146 Q. 205. An in necessitate Reipublicæ licitum sit dispositiones piæ convertere in alios usus. R. Intelligetur ex seqq. §. 1. Gravis necessitas Reipublicæ, v. g. propter famem, communiter æquivaleret necessitati extremæ particularium, *Cajetan. Suar. Tapia Carden.*

Carden. in 1. Crisi. d. 80. à n: 15. aliique communiter, quia illa necessitas rarò erit sinè hac, unde sicut certum est, esse obligationem, etiam ex necessariis ad statum, succurrendi Proximo in extrema necessitate, ita est opinio *S. Thom.* 2. 2. Q. 32. Art. 6. communiter recepta, quòd sit obligatio succurrendi gravi necessitati Reipublicæ, quia commune bonum est præferendum proprio in temporali- bus, & debet quivis privatus etiam vitam perdere, si necesse sit pro tuenda vita Reip.

§: 2: Gravis necessitas Reipublicæ tempore fam- 1147
 mis colligitur ex his signis: 1. Si omnes sentiant gravamen ingens ob caritatem annonæ, ita ut, qui olim abundabant, jam ad parcimoniam redacti sint. 2. Si valde multi, v. g. in valde magna civitate 40000. hominum publicè accedant ad reportandum frustum panis. 3. Si meritò timeatur, ne honestæ Matronæ, vel cives non habentes, quo se alant, nec potentes lucrari, fame enecentur. 4. Si ideo advertantur fieri multa furta nocturna, aut deprædationes. 5. Si præsentiatu- r seditio populi, qui plerumque in necessitate factiones inchoat. 6. Si prudenter timeatur vis inferenda Magistrati- bus, in quos plerumque culpa aliqua refunditur. 7. Si enascantur periculosi morbi, quia indigentes utuntur cibus noxiis. 8. Si multæ foeminae ob famem fiant mancipia Veneris, *Carden.* à num: 22.

§. 3. Licitum est ex illis, quæ ad usus pios, etiam 1148
 per ultimas voluntates, destinata sunt, subvenire gravi necessitati Reip, quia (secundùm omnes) bona exteriora ex Dei institutione destinata sunt ad sublevandam necessitatem indigentium, saltem extremam aut illi æquivalentem, uti constat

ex

ex dictis Lib. 2. à n. 204, hæc autem est talis, ergo. *Confirmatur*: nam si Testatores ipsi viverent, tenerentur dispositiones suas relinquere isti fini, aut, prout possent, immutare aliter factas, ergo.

1149

§.4. Commutatio illa fieri potest, 1. Per Papam, uti constat ex *Trid.* de Reformat. Sess. 22. Cap. 6. & Sess. 25. c. 4. Notant autem plerique cum *Carden.* n. 40. ad hoc requiri justam causam, quamvis etiam finè causa ab eo fieri posse dicant *Silv Perus. Ang.* aliique, quia testatores videntur facere sub conditione, nisi Papa aliter disposuerit; sed priores probabilius dicunt intelligi, nisi ex justa causa aliter disposuerit. 2. Per supremum Principem sæcularem, si materia piorum operum sit ei subiecta, *Sanch. & alii* cum *Carden.* n. 41. Non autem potest, si materia non sit illi subiecta, uti ei non subijcitur legatum Missarum, Beneficii, Capellanix, templi construendi &c. 3. Per Episcopum, si non sit aditus ad Papam, vel si sit periculum in mora; ita *Moneta, Barbosa* de Potest. Episcop. Alleg. 83. N. 16. *Carden.* n. 43. vocans securam sententiam; nam potest in simili casu dispensare quoad impedimenta Matrimonii, uti dicitur L. 6. quando de illis impedimentis: item in votis Papæ reservatis, uti dictum est P. 1. Num. 553. & 563. Item in alienatione bonorum Ecclesiasticorum; uti dicitur Lib. 4. Num. 1365. Item in absolutione à reservatis Papæ, uti dicitur Lib. 6, quando de Confessario. Rationem dant Auctores gravissimi apud *Sanch.* de Matrimon. L. 1. D. 61. N. 3, quòd Episcopus id possit in sua, quod potest Papa in tota Ecclesia, sed abstrahendo ab hoc: Ratio nostra est, quia reservatio illa Papæ non esset in ædificationem, sed in destructionem Charitatis & boni publici. *Neque obstat*, quòd executio
ulti-

ultimarum voluntatum fit juris naturalis, quia testator voluit illum finem, & non alium, ipse autem erat Dominus rei suæ, nam contra est, tum, quod Deus aliter disposuerit de bonis creatis, volens ea servire ad levandam talem necessitatem; tum etiam, quia hæc fuit implicita voluntas fundatorum ut ad talem necessitatem sublevandam impenderentur, alioquin irrationabiliter disposuissent.

§. 5. Non expedit, ut executores ultimarum voluntatum absque authoritate Papæ, Principis vel Episcopi ejusmodi legata commutent ad levandam gravem Reip. necessitatem, quia possent intercurrere multi errores, abusus & scandala; possent tamen id absolutè facere, ita *Carden. n. 71.* tum quia id liceret pro extrema necessitate hominis particularis, cui hæc æquivalet, tum etiam, quia hic urget jus divinum, cum bona externa DEI dispositione ordinata sint ad sublevandas gravissimas pauperum necessitates; Ubi autem urget jus divinum, non est opus authoritate Superioris, ut mihi liceat illi satisfacere: si tamen necessitas illa Reip. non esset evidenter gravis, expectari deberet declaratio Episcopi, uti *Trid: suprâ innuit*, & rectè notat *Carden. n. 73.*

Q. 206. Quid aliàs possit Episcopus circa commutationem ultimarum voluntatum. R. De hoc dicitur l. 4. à n. 846. ubi universaliter examinabitur, quid possit Episcopus circa dispositionem ad pias causas.

Q. 207. Si plures sint designati executores, an quilibet solus possit exequi vel debeant omnes concurrere. R. Si executio fit illis divisim commissa, potest quilibet solus, argum. l. 2. Cód. De divid. tute: & l. 51. ff. De administr. & peric. tut. Si conjunctim fit commissa, debent omnes concurrere, uti colligitur ex

Cap. fin. §: fin. De Testam. in 6. nisi eorum aliquis in remotis ageret, id est, si proximè non esset reversurus, tum enim opus non est vocari vel expectari, L. Pluribus ff. De procurat. Bald. in L. Nulli. 37. Cod. De Episc. & Cleric. n. 15. Quòd si aliquis executorum tergiverfetur, alii possunt pergere, Cap. fin. suprà.

D V B I V M V.

De iis, qui testari & heredes institui possunt.

1153 **R** Esp. I. Omnes homines liberam de suis bonis testandi facultatem habent, nisi naturali aut positivo jure prohibeantur. Naturali autem jure testari vetantur infantes, furiosi, amentes, nisi lucida intervalla habeant, vel in una tantum materia delirent, & in aliis non, ut Navarr. Sanch. lib. 1. de Matrim. d. 8. Quid autem sentiendum de eo qui ex morbo aliquamdiu delirat, v. Lugo d. 24. §. 4. Positivo autem, surdus simul & mutus à natura, prodigus, servus, usurarius publicus, filius familias de bonis adventitiis, (si quidem ante Clericatum advenerint, ut v. Lug. n. 67.) impubes, captivus apud hostem, damnatus ad mortem, si bona ejus confiscentur, Lugo n. 72. professus Religionem.

Dico, professus, quia novitius, cum adhuc sui juris sit, absque Superioris licentia validè testari potest, etiam non servatâ juris solennitate, ut habet Trull. to. 2. l. 7. cap. 18. d. 5: n. 4. ex Sa & Bon: & si quidem intestatus decedat, proximi consanguinei in bonis succedunt. Similiter Religiosus Societatis, post emissâ vota simplicia, etsi non licitè, validè tamen potest testari, quia domini-
um

um bonorum suorum retinet, impeditum quasi voto paupertatis, quoad dispositionem sine licentia Superioris; non autem ullâ constitutione canonicâ dispositio irritatur, Ita Mol. Sanch. Laym. qui addit, potestatem testandi, seu jure, seu consuetudine, etiam Religiosis Ordinum militarium concessam, frequenterque à Pontifice concedi iis solere, qui extra claustrum, Beneficium vel Episcopatum habent.

Resp. II. Omnes homines, etiam amentes, furdi, muti, servi, imò & communitas, hæredes institui possunt, nisi specialiter prohibeatur. Ita Bon. to. 2. de contr. d. 3. q. 17 p. 3. quia ad hoc tantum requiritur plena potestas in disponente, & capacitas in hærede. Incapaces autem secundum jura sunt, 1. Apostata & hæretici, eorumq; receptores, defensores, fautores: licet probabile sit, eos ante sententiam Judicis ad restitutionem non teneri, eò quòd hoc jus in eo rigore non sit receptum. Less. l. 2. cap. 19. dub. 5. Sanch. l. 2. cap. 14. n. 31. 2. Civitas hostium, & communitas Judæorum. 3. Damnatus ad metalla, persecutores & percussores Cardinalium, & qui ob crimen activè intestabiles sunt. Less. loc. cit. Adde casus, in quibus aliqui excluduntur à bonis defuncti, ut 1. Hæres, (uti & legatarius) qui testatorem occidit, Leg. ult. §. ult. ff. De bonis damnatorum. 2. Item si testatori prohibuit testari, aut testamentum revocare; aut si ad uxorem testatoris accedat. 3. Si dum testator mente captus fuit, hæres illius curam non habuit, aut si captivum redimere neglexerit. V. Mol. d. 178. §. 212. Lugo d. 24. n. 75. Unde resolves:

I. Hæredes institui possunt professi Ordinum, quibus permixtum est bona immobilia in com-

muniri possidere, eorumque nomine Monasterium succedit: Tales autem sunt omnes ferè Religionēs, excepto Ordine Minorum de Observantia, & Capucinorum. Ratio, quia illi sunt incapaces, secundum *Trid. sess. 25. cap. 3. uti & professi Societatis JESU. V. Sanch. l. 6. cap. 18. Bon. l. c. n. 5. Lay. l. 3. t. 5. c. 5. licet contrarium probabilius esse putet Wading. de contr. d. 4. du. 5. §. 4. V. Dian. p. 9. t. 9. R. 16.*

II. Collegia Societatis JESU, & domus etiam professæ, hæreditates accipere possunt; modò bona immobilia, quæ communi usui & habitationi non deserviunt, vendantur, & non deferantur intuitu professi, aut vota formata habentis.

Dixi, hæreditates; quia sicut Minores & Capucini, legata & alia donata admittere possunt; ita etiam Societas JESU, etsi intuitu alicujus professi tantum ea deferantur. *Vid. Laym. l. c.*

III. Testator potest quemvis extraneum instituire hæredem, nullâ factâ mentione consanguineorum collateralium, etiam fratris pauperis, dummodo absit scandalum, & gravis necessitas illorum: quia nullo jure prohibetur, & bona sunt ipsius, de quibus disponit liberè. *Bon. & alii 5. Dian. p. 1. t. 8. R. 83. & 86. Item p. 5. t. 3. R. 114.*

Quæres I. Quæ sit divisio hæredum.

Resp. Hæres alius est ex testamento, alius ab intestato. Hæres ex testamento, vel est universalis, sive ex asse; vel partialis, seu ex parte tantum; v. g. ex triente vel dodrante, vel quadrante. Uterque horum, vel est hæres necessarius, qui necessariò institui debet, ut sunt omnes in recta linea descendentes, & post hos ascendentes, nisi sit causa justa exhæredandi; vel non necessarius, quem

quem testator potest instituere, & non tamen cogitur, *Laym. l. 3. tr. 5. c. 5. n. 9.*

Quæres II. Quantum hæredibus necessariis debeat.

Resp. Jure novo legitimam portionem descendentium, esse trientem hæreditatis, si non sint plures quàm quatuor liberi; si plures, semissem: Similiter ascendentium portio, etsi unus tantum sit, est triens hæreditatis, idque absque ullo gravamine, modo, & conditione: alioqui pro non appositis habentur. Quòd si autem alicui ascendentium, vel descendentium, portio legitima non relinquatur, competit ei actio ad petendum complementum, vel ad rescindendum testamentum, ut ipso jure nullum: maximè, si causa idonea exheredationis non sit inserta & probata. *Laym. n. 10.*

His adde 1. Rumpi testamentum ob posthumi præteritionem. 2. Peccare parentes, si absque justa causa, ex inordinato affectu erga liberos, successione inæqualitatem inter eos instituunt: Justæ autem causæ hujus inæqualitatis erunt, merita & obsequia majora; si pupilli magno sumptu in studiis ali debeant; si qui plus egere videantur, *Dian. p. 1. t. 8. R. 83.* si quis in studiis sustentatus sit Doctor, possitque lucrari, & alii secus; imò pater, id, quod habet supra partes legitimas filiis debitas, potest de rigore relinquere extraneo. *Trull. 20. l. 7. c. 18. d: 10: n: 2: Bon: Dian: R. 83.* 3. Liberos naturales, nisi legitimati sint, respectu patris non esse hæredes necessarios, respectu tamen matris, esse; idque æquali jure cum legitimis. Quòd si tamen pater liberis caret, naturales potest instituere hæredes; modò parentes superstites legitimam portionem non priverentur. 4. Fratrem & sororem

rem tunc tantum posse infirmare testamentum,
 si persona infamis instituta fit, *Laym. num. 15.*
v. Bon. d. 3. de cont. q. 17. p. 3. 5. Patrem non posse
 expensas factas pro filio in studiis litterarum re-
 petere, si quidem eas liberaliter fecit, vel donavit:
 secus si habuit animum repetendi, & computan-
 di in legitimam. Quod si pater non repetiit,
 quando potuit, non tenetur filius eo mortuo in
 divisione conferre in commune, quia praesumi
 potest liberaliter factas, vel condonatas, nisi ali-
 unde constet contrarium. *Azor. Vil, Trult. 1. l. 4.*
c. 1. d. 3. n. 3. V. supra c. 3. d. 2. de donatione.
 Quæres. III Qui hæredes succedant ab inte-
 stato aut testamento rupto, vel irritato.
 Resp. Ante omnes alios, patri succedere legi-
 timos liberos, & in demortuorum locum nepo-
 tes. 2. Deficientibus descendantibus, patrem &
 matrem defuncti, & in eorum locum, avos &
 avias. 3. His quoque deficientibus, fratres &
 sorores ex utraque parte conjuncti, idque æquis
 portionibus, exclusis iis, qui ex solo patre vel
 matre conjuncti sunt. 4. Si ex fratribus vel so-
 roribus utrimque conjunctis, unus mortuus li-
 beros reliquerit, succedunt hi loco parentis sui
 cum patruis, non in capita, sed in stirpes. Si ta-
 men fratres & sorores utrimque conjuncti, om-
 nes mortui sunt, tunc eorum liberi, exclusis pa-
 truis ex una tantum parte conjunctis, non in
 stirpes, sed capita, adeoque æquis portionibus
 succedunt: quia duorum fratrum filii, non suo-
 rum parentum loco, sed jure propriæ conjun-
 ctionis succedunt, cum ergo æqualiter juncti
 sint, æquales etiam in portione hæreditatis esse
 debent. 5. Deficientibus fratribus & sororibus
 utrimque conjunctis, eorumque liberis, succe-
 dunt

dunt fratres & sorores, ex una tantum parte con-
 juncti: hoc tamen discrimine, ut qui ex parte Pa-
 tris sunt juncti, succedant in bona à patre prove-
 nientia, in reliquis æqualiter omnes. 6. Si fratres
 & sorores, eorumque filii deficient, succedunt
 propinquiores collaterales usque ad decimum
 gradum: & fit talis successio in capita, nullâ habi-
 tatione, an ex altera parte, an ex utraque sint
 conjuncti. 7. In horum defectu, succedit uxor, &
 denique in illius morte fiscus secularis in bonis
 omnibus laici ab intestato defuncti: fiscus autem
 Ecclesiasticus, in bonis Clerici. *Lay. c. 6. n. 1. 2. 3.*
 & 4.

His adde: 1. Quod si uxor, susceptis ex priore
 marito liberis, ad secundas nuptias transit, quid-
 quid à priore marito, donatione aut testamento
 acquisivit, ejusdem matrimonii liberis cedere.
 Similiter, si maritus alteram uxorem ducat.

Adde 2. Hæredem adeundo hæreditatem,
 non commoda tantum & jura, sed etiam debi-
 ta & onera realia defuncti in se transferre. Inte-
 rim tamen duplici beneficio gaudere, 1. Ut su-
 pra vires hæreditatis non obligetur. 2. Quod
 deductis expensis funeris, & solutis debitis,
 quartam partem hæreditatis obtinere debeat
 hæres, vel hæredes; & si eam non habent, lega-
 tis, non tamen piis, ut notat *Trull. to. 2. l. 7. c. 18. d. 12.*
n. 25. ex authent. similiter C. Ad legem Falcid. detra-
here possunt beneficio legis falcid. Lay. n. 7. Sanch.
lib. 4. cap. 15. Ut autem hoc beneficio frui possit
 hæres, conficere tenetur inventarium, tametsi
 hanc obligationem testator possit remittere, re-
 spectu legatariorum & fidei commissariorum,
 quibus ex mera liberalitate aliquid reliquit; non

nam respectu creditorum, quibus præjudicare non potest: Univerſim enim ab onere inventarii, & à rationibus reddendis, eos, quibus potest relinquere bona, sine onere dandi partem aliis, potest liberare, iisque concedere, ut eorum dictis, vel juramento ſtetur, *Mol: Lugo, d. 24: n. 236.*

A D D E N D A.

1154 *Q. 208: De quibus rebus testari poſſit filius. R. Colligi potest ex dictis p. 1. à n. 1026. Poſſuntque videri alia apud Tambur: in Decal: lib. 5. cap. 4. §. 1. & 3.*

Q. 209: De cujus licentia testari poſſit Religioſus profeſſus, vel aliquis Eccleſiaſticus. R. Caramuel docet pro Religioſo ſufficere licentiam eorum, per quos potest aliquid donare, ſed communiffima ſententia cum Carden. in 1. Criſi d. 65. dicit non poſſe, niſi de licentia Papæ, nam Cap. 7. Quia ingrediensibus. 19. q. 3. expreſſè dicitur, Ulterius nulli ſit teſtandi licentia: & quidem quòd nomine proprio teſtari non poſſit, certum eſt, quia nomine proprio non eſt capax ullius domini, ergo hoc, quod ipſi erat impoſſibile, non prohibetur, ergo prohibetur, ne teſtetur etiam nomine alieno, nempe communitalis, ad quam pertinet dominium, tale enim teſtamentum haberet ſpeciem diſpoſitionis ex dominio, quam à profeſſis omnino abeſſe vult Eccleſia. An & de quibus teſtari poſſit Eccleſiaſticus, dicitur l. 4. n. 1355. 1359.

1155 *Q. 210. Quid notandum ſit circa hæreditatem & legitimam, ac ſpeciatiim circa Religioſos. R. Seqq. §. 1. Tota hæreditas in Jure vocatur As: as autem dividitur in duodecim uncias: duæ unciaſunt ſextans, id eſt, ſexta pars hæreditatis: tres unciaſunt quadrans*

quadrans, id est, quarta pars : quatuor uncia sunt
triens, id est, tertia pars : quinque uncia sunt *quin-*
cunx, id est, uncia minùs quàm media pars : sex un-
 cia sunt *semis*, id est, media pars hæreditatis: septem
 uncia sunt *septunx*, id est, uncia plùs, quàm media
 pars : octo uncia sunt *bes*, id est, uncia minùs, quàm
 tres partes hæreditatis: novem uncia sunt *dodrans*,
 id est, tres partes hæreditatis : decem uncia sunt
dextans, id est, uncia plùs, quàm tres partes: undecim
 uncia sunt *deunx*, id est, hæreditas minùs unciâ :
 atque ita habetur §. 5. Instit. De hæred: instit. ex qui-
 bus intelligitur, quid sit institui hæredem ex *asse*, ex
semisse, ex *besse*, ex *deunce* &c.

§. 2. *Legitima est pars illa bonorum, quæ secun-* 1156
 dùm Leges relinqui debet hæredibus *suis*, id est,
 necessariis, qui præteriri non possunt : potest ta-
 men relinqui sub conditione honesta, quæ sit in
 potestate hæredis, v. g. si studuerit, L. fin. ff. De
condit: Instit. si enim explere nolit, censetur renun-
 ciare hæreditati, *Haunold. T. 6. N. 330.*

§. 3. Si Cajus ducturus secundam uxorem, 1157
 cum hac paciscatur, ut nec ipsi nec prolibus fortè
 nascituris sit ullum Jus ad hæreditatem vel Legiti-
 mam, poterunt proles evertere hoc pactum, quia
 Legitimam, ad quam natura tribuit Jus, non potest
 sinè justa causa auferre pater aut mater : unde si
 Cajus volebat excludere proles nascituras, debe-
 bat, priusquam ulla nasceretur, abdicare se bonis
 in favorem prolium primi thori, reservato sibi so-
 lo usu-fructu.

§. 4. Si Titius testamentum faciat pro Monaste- 1158
 rio, in quo profiteretur, & moriatur ante ascenden-
 tes, his debetur sua legitima portio, non aliter ac
 si Titius in sæculo fuisset mortuus, quia Monaste-

rium non debuit præjudicare Juri ascendentium, quod est esse hæredem necessarium in legitima portione respectu talis filii, *Molin. T. 2. D. 140. N. 10.* Idem videtur dicendum, si Collegium per testamentum filii acquirat simile Jus: *Nec obstat*, quod non debeat Legitima ascendentibus, si adsint descendentes, Monasterium autem in Jure habeatur loco filii, nam habetur tantum pro casibus in Jure expressis, qualis hic non est. Pater verò & mater, aut alterutro mortuo, qui ex his superest, instituendus est hæres à filio quoad totam partem legitimam; & idem est de utroque Avo, si defuncti sint pater & mater, &c. *Molin. D. 159. N. 2.* Et pars legitima ascendenti relinquenda à filio, est pars tertia bonorum, de reliquis potest testari, *Mol. N. 3.* Quod si Novitius Professionem edat, non factâ priùs renunciatione bonorum, succedit Ordo, si est capax successionis; si autem non est capax, succedunt hæredes ab intestato, *Pirh. L. 3. T. 31. N. 79.*

1159 §. 5. Si Religiosus scriptus sit hæres, Monasterium potest immediatè adire hæreditatem in scio & etiam invito Religioso, uti velut probabilius tenent *Sanch. in Dec. Lib. 7. c. 12. à n. 35. Lugo de Just. D. 3. à num. 94. Todtf. Q. 75. N. 12. contra Wading: de Contract. D. 4. Dub. 5. §. 5.* & alios, qui dicunt fieri tantum mediante Monacho: sed ratio nostra est, quia Religiosus omne suum *velle & nolle*, quoad ejusmodi Jura, transtulit in voluntatem Superiorum. An autem & quomodo, v. g. Societas JESU possit prætere hæreditatem, legatum vel Legitimam Professi, qui ante Professionem omnia sua Jura cesserat alicui Collegio, videri potest *Lugo in Resp. Moral. L. 4. Dub. 4. & 5, ubi Dub.*

Dub. 6. docet Generalem posse post mortem testatoris acceptare legatum Scholastico relictum. Quoad Episcopatum Leodiensem, vide *Mea* Definit. 43.

§. 6. Potest quidem Religiosus ex rationabili causa absque licentia Superioris repudiare donum sibi oblatum, aut etiam petere illud potius donari, v. g. suo cognato, uti notant *Sanchez* Cap. 19. Num. 75. *Lugo* de Just. D. 3. N. 166, repudiatio tamen hæreditatis facta sine licentia esset invalida, uti tenent idem *Sanchez* c. 12. n. 37. & *Lugo* à n. 94. iterumque in *Resp. Moral. Lib. 3. Dub. 14. num. 4*, quia Superiores censentur priorem voluntatem ratam habere, non autem posteriorem, possuntque immediatè & independentè à voluntate Religiosi hæreditatem adire, uti dictum est. Vide *Delbene* de Immunit. Eccl. c. 17. D. 6. Quoad Scholasticos Societatis JESU, videri potest *Pelliz. Tract. 4. c. 2. N. 172.*

§. 7. Si Testator excludat Religiosum professum ab hæreditate vel à legato, non ideo excluditur, qui in Societate tria tantum vota emisit, quia certum est non esse professum, licet per Pontifices illi communicentur aliqui effectus Professionis, uti quod invalidè contrahat Matrimonium &c. Quoad dominium autem & successiones, decernunt non æquiparari Professis: nec in odiosis, quale hoc est, extendi debet nomen professi, & ideo per tria illa vota non vacant beneficia, nec cessant pensiones, nec Jus Patronatus &c. *Lugo* in *Resp. Mor. L. 4. Dub. 44.* Plura circa jam dicta videri possunt apud *Castrop. Tract. 16. D. 3. P. 3. & seqq.*

Q. 211. *Quinam illegitimi possint esse hæredes. Re.* Illegitimi sunt, qui nascuntur extra Matrimonium, uti pluribus explicabitur *Lib. 4. à num. 750,*
ubi

ubi etiam dicitur, quomodo fieri possit legitima-
tio. Quòd si inter Parentes potuerit esse validum
Matrimonium, saltem intra tempus, quo proles
concepta est & nata, talis illegitimus dicitur natu-
ralis; si autem validum Matrimonium tum esse non
potuerit, dicitur spurius, uti communiùs loquun-
tur Theologi, licet Juristæ discrepent, nam *Strycki-
us* de success. ab intest. Dissert. 7. c. 2. à §. 29. dicit
illos esse naturales, qui ex concubina domi reten-
ta, aut ex virgine soluta nascuntur; illos esse spuri-
os seu nothos, qui ex muliere publicè quæstum
meretricium faciente, quia cum ignoretur pater,
non censentur habere patrem: utrosque autem
distinguit ab eis, qui ex adulterio, incestu & da-
mnato Legibus coïtu nascuntur, quia tales nec pa-
trem nec matrem nec agnatos habere censentur,
& habentur, tanquam si non sint filii. Nos loque-
mur cum Theologis, quorum explicatio magis
declarabitur Lib. 4. à num. 751.

1163

§. 1. Naturales, si absint legitimi ascendentes &
descendentes, possunt à Patre ex assè; si adsint le-
gitimi descendentes, possunt tantùm ex uncia in-
stitui hæredes; si adsint soli ascendentes, his debe-
tur Legitima, id est, triens, & reliqui duo trientes
possunt per testamentum venire ad naturales. Si
autem mater filiorum naturalium sit superstes sinè
filiis aliis, huic potest donari sola semi-uncia.
Quòd si pater moriatur intestatus, neque sint legi-
timi descendentes, neque etiam legitima uxor, natu-
rales succedunt in sexta parte inter ipsos & ma-
trem eorum dividenda, aliæ quinque partes veni-
unt ad legitimos hæredes ab intestato. Si autem
adsint descendentes legitimi vel uxor legitima, &
Pater intestatus decedat, naturales nihil accipiunt,
uti nec tum, si Pater alios filios adoptaverit, ha-
bentur

bentur enim legitimi, *Instit. De adopt. §: 2.* Item nec tum succedunt, si pater se pluribus concubinis miscuerit, *Stryck: Diss: 1: c: 2: §: 16.* Excipe competentia alimenta, quæ semper debentur naturalibus secundùm arbitrium prudentum. Denique naturales non solùm ex testamento, sed etiam ab intestato succedunt Matri, non aliter ac si essent legitimi, unde in hæreditate materna æqualiter concurrunt cum legitimis, & cum his succedunt etiam quoad relicta ab Avo aliisque ascendentibus, *Molin: à D. 165. Lugo D. 24. à n. 88. Stryck. §. 46. 47. 52. Haumold. T. 5. N. 449.* Nepos tamen legitimus natus ex Patre naturali non succedit Avo, secundùm *Stryck. §: 48.* De natis ex vago concubitu seu meretricio, est similiter discurrendum, nisi quòd non admittantur ad successionem Matris illustri, si legitimi adsint.

§. 2. Spurii succedere non possunt Patri aut Ma- 1164
tri, nec per testamentum, nec ab intestato, nec per substitutionem, uti explicat *Lugo à n. 92.* & habetur *L. Si quis incesti, Cod. De incestis nuptiis. L. 1. Cod. De natural: Liberis. Novel: 74. c. 4,* ubi etiam dicitur, quòd nequidem per donationem inter vivos possint aliquid accipere: tenentque ista, licet Parentes postea petita dispensatione aut aliter cessante impedimento contraxissent Matrimonium, nec essent aliæ proles, quia spurii non legitimantur per subsequens Matrimonium, uti dicitur *Lib. IV. Num. 759.* Item tenent dicta, uti habet *Lugo num. 92,* licet Parentes se abdicare vellent dominio rerum suarum, ut spurius eas primus occuparet, quia per Leges inhabilitati sunt, tam Parentes ad dandum spuriiis, quàm spurii ad accipiendum aliquid paternum vel maternum, statuit enim

enim *Novella* suprà c. 6. eos , qui semel ex odibilibus nobis & propterea prohibitis nuptiis procedunt, neque naturales vocari, neque participanda ulla clementia est, sed sit supplicium etiam hoc Patrum, aut agnoscant, quia neque quidquam peccatricis concupiscentiæ eorum habebunt Filii. Potest tamen spurius accipere aliquid à Parentibus titulo oneroso, v. g. emptionis, quia tum habet se sicut extraneus, *Lugo num. 112.* Item titulo remuneratorio, attamen non plus, quàm re ipsa mereatur, *Lugo num. 114.*

1165 §. 3. Si quis natus sit ex conjugato & soluta, *Socin. Gomez & alij* putârunt admitti ad successionem Matris, sed negant cum aliis *Lugo num. 92. & Strych. §. 57,* quia est verè spurius.

1166 §. 4. Si Pater spurii dicat alteri habenti etiam filium spurium, *ego filium tuum scribo hæredem, & tu meum scribas hæredem tuum,* dispositio non valet, quia tantundem est, ac si permutarent sua bona, & singuli darent ea suis spuriiis, *Lugo n. 107.* Item executor non potest ex illis, quæ legata sunt pro Pauperibus, aliquid donare spurio testatoris, quia spurius re ipsa acciperet à suo Patre; posset tamen executor donare suo spurio, quia donaret nomine testatoris, à quo spurius executoris acciperet, *Lugo à num. 108.* An Pater possit aliquid relinquere uxori filii spurii, aut Avus spurio sui filii, videri potest *Lugo num. 111. & à n. 115.*

1167 §. 5. Parentes non tenentur alere spurium, nisi alimentis necessariis, putântque aliqui intelligi tantùm alimenta viliora & ad naturam necessaria, sed alii communiter cum *Lugo n. 123.* permittunt necessaria etiam ad decentiam statûs, juxta qualitatem personæ & alias circumstantias, & quidem
pro

pro tota vita spurii, *Lugo* num. 126. Vide etiam *Less.* in Auct. v. *Illegitimus*. Casu 1. Hæredes autem Patris habent eandem obligationem alendi spurium, si Pater non providerit, *Lugo* num. 125. Item ascendentes paterni, si Pater aut hæredes deficiant, *Lugo* num. 136.

§. 6. Legitimati per rescriptum Principis non 1168
succedunt cum legitimis, nisi fuerint legitimati ante natos legitimos, tum enim æqualiter succedunt, *Stryck*. §. 72. *Castrop*. T. 13. D. 4. P. 4. §. 2. N. 17, uti & tum æqualiter succedunt, si sint quidem legitimati post natos legitimos, attamen Princeps legitimans noluerit hoc illis obesse, *Castrop*. §. 4. N. 6. Comitibus tamen Palatinis ordinariè non censeatur data potestas sic legitimandi, nisi in tenore addatur, *Stryck*. §. 74. Beneficium autem legitimationis per Principem, secundum *Stryck*. Dissert. 7. c. 2. §. 36. etiam extenditur ad natos ex stupro, adulterio vel incestu, possuntque illegitimi legitimari per rescriptum Principis etiam in præjudicium Agnatorum, si legitimi Filii non adsint, fieri tamen debet vivo adhuc Patre vel saltem sic destinante, uti si illegitimum scripserit hæredem sub conditione petendi legitimationem à Principe, *Stryck*. §. 75. aliique cum *Lugo* num. 113, ubi dicit spurium posse à patre institui hæredem, sub conditione, si à Principe legitimetur. Videri possunt plura apud *Mol.* suprâ, *Azor* P. 2. L. 2. c. 7. & seqq. *Lugo* Sect. 6. & 7. An filia possit exhæredari, si nubat invitis Parentibus, dicitur Lib. 6. de Sponsalib. ad D. 2. Non posse autem exhæredari ob ingressum in Religionem, dicitur Lib. 4. Num. 51.

Q. 212. An obligationes testatoris transeant 1169
ad

ad heredem. R. Satis colligi potest ex dictis p. 1. à n. 337. & à n. 477. item hic à n. 237. & à n. 490. & n. 1046. potestque etiam videri *Lugo* d. 23. à n. 98. Et universaliter notandum est, quod hæres teneatur perficere negotia à defuncto inchoata & nondum finita, L. *Hæres*. 40. ff. Pro Socio: L. *Nam & Servius*, §. 2. ff. De negot. gestis. Adde tamen, si testator dixerit, *hæres meus infra scriptus* (qui est v. g. Titius) peregrinetur pro me *Lauretum*, aut det 100. aureos pauperibus, si Titius non fuerit peregrinatus, Cajus hæres Titii non satisfacit peregrinando, sed debet dare 100. aureos pauperibus, quia Tò *infra scriptus* notabat solum heredem immediatum, obligatio autem realis Caji est inde, quia repræsentat personam Titii, qui quia peregrinationem non explevit, tenebatur ad istam eleemosynam, ita *Sanch.* in Dec. l. 4. c. 15. num. 31. *Lugo* in Resp. mor. l. 6. dub. 13. ubi universim examinat, an hæres hæredis teneatur ad pœnam à testatore impositam. An autem obligatio restituendi famam transeat ad heredem, dicetur n. 1256. Denique hic notandum, si testator in vivis habuerit piam voluntatem aliquid faciendi, v. g. fundandi beneficium, si hæredi vel hæreditati non imposuerit eam obligationem, sicuti voluit testator ex devotione facere, ita poterit hæres pro libertate omittere.

1170 Q. 213. Quid intelligatur per *Falcidiam & Trebellianicam*. R. §. 1. *Falcidia* est ea pars bonorum, quam detrahit hæres à legatis vel donationibus mortis causâ factis, quousque impleat suam Legitimam per illa legata vel donationes imminutam, si sit hæres necessarius; aut quousque separet quartam partem bonorum, si sit hæres, cui nulla debeat Legiti-

Legitima, cum enim olim liberum esset totum patrimonium erogare in legata, sicque hæredibus sæpe nihil superesset, ac propterea hæreditatem respuerent, lata est *lex Furia*, primùm prohibens uni legatario legari ultra 1000. aureos; deinde etiam *lex Voconia*, prohibens, ne quis plus relinqueret alicui, quàm hæredi: sed cum neutra adhuc sufficeret, lata est *lex Falcidia*, sic dicta à *Falcidio* Tribuno, qui illam tulit, quâ cavetur, ne plus legare liceat, quàm dodrantem seu tres partes omnium bonorum, ita ut hæredi semper remaneat quarta pars omnium, quæ inveniuntur in morte testatoris, post soluta priùs debita, expensas funeris ac mercedem servorum, habentur hæc Instit. De lege Falcidia, & Cod. Ad legem Falcidiam, additque etiam aliqua *Busenb.* relatus n. 1153. in fine.

§. 2. Per Trebellianicam hìc intelligitur quarta pars hæreditatis, quæ competit hæredi fideicommissario, nam sicuti per Falcidiam positum est temperamentum legatis, ita fideicommissis per S. C. Trebellianum, sic dictum, quia *Trebell.* Consule factum est, quo statuitur, ut hæres fideicommissarius rogatus totam hæreditatem restituere, possit quartam partem sibi retinere, uti habetur §. 7. Instit. De fideicommiss. Hæredit. & Cod. Ad S. C. Trebellianum, possuntque de Falcidia & Trebellianica plura videri apud *Haun.* t. 7. c. 4. per 9. controversias.

Q. 214. Quid agendum sit in dubio, an fraus commissã sit circa testamentum. R. Sic dubitans potest vi testamenti adire hæreditatem, quia fraus, utpote delictum, non præsumitur: si tamen probabiliter adfuit fraus, & nemo est in possessione, *Tambur:* in Dec. l. 1. c. 3. §. 7. V. Testamentum, dicit hæredita-

tem esse dividendam juxta ratam probabilitatis.

1173 Occasione hujus quæstionis, in qua mentio fit fraudis, resolvitur hic casus:

Titius habet duos nepotes, Cajum & Sempronium, ad quos, per legem Patriæ, devolvi debent æqualiter bona immobilia Titii: hæc tamen bona vendere posset & consumere Titius, si in necessitate esset. Et quia Cajus ei gratior est, optaret majorem partem devolvi ad Cajum, hinc

Quærit, an non possit fingere necessitatem, & nunc Cajo donare, v.g. ter mille Imperiales, eique isto pretio vendere meliorem partem istorum immobilium.

Respondeo, non posse, 1. Quia Sempronius per legem Patriæ habet jus ad illam medietatem suo tempore obventuram, ergo fit injuria, si fraudetur. uti fieret injuria, si aliquis fraudaretur, qui per sententiam Judicis haberet jus ad rem, ad certa bona; plus enim est habere jus per legem, quam nudè per sententiam. 2. Est illicitum & injustum per mendacium vel fraudem impedire aliquem à consecutione boni, quod licitè petere vel sperare potest, uti dictum est n. 69, sed Titius per mendacium vel fraudem impediret Sempronium à consecutione boni, quod licitè petere & sperare potest, deberet enim Titius fingere aut etiam dicere se necessitate pressum ea bona dividere, ergo. 3. Leges ejusmodi, etiam civiles, quæ purè pœnales non sunt, sed feruntur intuitu boni communis & pro conservatione familiarum, obligant etiam in conscientia, uti certum est, & latè probat Suarez de Legibus c. 21. & seqq. sed Lex, de qua hic sermo, non est purè pœnalis, sed lata intuitu boni communis, pro conservatione familiarum, ergo.

Con-

Confirmatur, nam si tales leges non obligarent in conscientia, frustra ferrentur, quia semper possent facillimè eludi per praxes ejusmodi fraudum & fictionum.

Cui cedant bona defuncti absque hærede & testamento, dictum est n. 104.

TRACTATUS VI.

De Præcepto Decalogi 8. 9. 10. Et de Præceptis Ecclesie.

CAPUT I.

De Præcepto Octavo.

Non loqueris &c.

Prohibetur hic omnis injusta læsio famæ & 1174
honoris proximi; ac præcipuè omnis falsitas, & mendacium, ac læsio verbalis, quæ fit, tum in judicio, falsò accusando, vel verum celando, de quo suprà; tum etiam extra, perniciosè mentiendo, secreta revelando: de quo v. Bon. de rest. d. 2. q. 2. p. un. Laym. l. 3. t. 3. p. 2. c. 5. ac denique detrahendo.

DUBIVM I.

Quid sit suspicio, iudicium temerarium, & dubitatio, ac quale peccatum.

Suppono hæc tria differre inter se, quòd iudicium fit firma animi sententia, seu assensus indubitatus; Suspicio, assensus inchoatus, quo quis inclinatur in unam partem, iudicans probabiliter latere aliquod fundamentum opinandi: Dubitatio autem non est assensus (nisi causaliter) sed quasi suspensio animi, in neutram partem inclinando. 1175
Quæritur ergo hic, non de suspicione & iudicio